

THEOL.
MUSEI

Dies muß 11



17.

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

De

F I D E

PRIMA,

Quæ est de causa fidei efficiente,

D. O. M. A.

in illustri Salana

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS MUSÆI, S. S.

Theol. D. & P. P.

publicæ ventilationi

exposita

à

M. JOANNE GEORGIO ZENCKERO,

Schleizâ - Varisico,

in auditorio majori

ad d. XIII. Nov.

—————

Typis


CASPARI FREY-SCHMIDII

Anno M DC LII.



PRÆILLUSTRES AC GENEROSISSIMI
DOMINI,

Domini clementes,

 *Sciscitetur forsā aliquis, quod ausus fuerim, Nomen Vestrum tam Augustum præfigere huic Disputationi, aut, qua fini id fecerim? Verum in promptu est quod me impulit ad hoc facinus, & cuius gratiā tantum mihi sumsi audaciæ.*

In subactis Vestris sum ego: erga quos quo animo hactenus fueritis, quā nullo iniquo onere eos gravaveritis, qua fidelitate, qua diligentia, qua curā, quo cum labore, quibus cum periculis eos defensaveritis & quā nullum denique Boni Principis officium neglexeritis, toti orbi notum est.

Accedit, quod Gymnasium à Beato respectivè Patre Avoque Vestro, pientissimæ memoriæ, fundatum, etiam inter tot & tam ingenteis bellorum tumultus, quum Scholæ passim devastarentur, in perpetuo flore ac vigore conservastis, & perquā magnis ac splendidis sumptibus in id impensis. Hac enim insigni munificentia ac magnificentia Vestra factum, ut in studiis meis eò feliciter progredi potuerim: quippe qui in antea-memorato Illustri Gymnasio Vestro ultra quinquennium commoratus, bonis literis operam dedi. Quod beneficium, quamvis à nonnullis parvi aestimetur, tantò tamen majoris est censendum, quantò plus interest, institutum fuisse à viris probis ac eruditis, constitutum adhuc in ætate teneriori.

Hæc itaque, Præillustres ac Generosissimi Domini, simul atque semel atque iterum accuratius mecum perpenderam, id quod jam dudum factum, mens fuit, aliquod grati animi specimen Vobis ostendere. Verum cum tenus hæc nihil sese obtulerit conspectu Vestro dignum, nunquam exequutus sum isthoc animi mei decretum. Metuendum proinde erat, ne, si non maturè huic malo medicinam pararem, ingratiitudinis suspicionem apud Vos

Vos incurrerem, notaque mihi inureretur hominis immerentis atque immemoris beneficiorum. Poteratis enim eò adduci, ut crederetis, me planè fuisse oblitum beneficiorum à Vobis acceptorum, que tanta sunt, ut ea oblivioni tradere non nisi ingratus possit. Quo circa ut anteverterem & averterem id mali, & de gratà meà mente certiores Vos facerem, consecratam Vobis volui hanc Disputationem.

Atque hæc, Præ illustres ac Generosissimi Domini, causa impulsiva, hic finis fuit hujus meæ inscriptionis.

Quod superest, rogo quàm submississime, clementi vultu serenâque fronte excipere velitis hoc quantulumcunque meæ gratitudinis monumentum. Ego ita me geram, ut sentire queatis, grato Vos exhibuisse, quicquid beneficiorum mihi exhibuistis.


DEUS Ter - Optimus - Maximus salvos diu incolumesque Vos servet. faxitque, ut multi Vestras imitentur virtutes, justitiam præprimis ac equitatem Vestram, singularem planè & tantum non heroicam, hoc est, talem, ἢ τὸ εὖ ἠκούσας, quæ supra nos (homines est,) uti loquitur Philosophus 7. Nicom. cap. 1.

Præillustrium
Generositatum
Vestrarum

JENÆ,
Postriduo Nonas
Novembres,
Anni Æræ Christianæ
MDCCLII.

subjectissimus
M. Johannes Georgius
Zenker.





I.

Fidei vox est ἐκ τῶν πολλῶν λεγομένων, & accipitur in Scripturis (ut alias significationes tacite pede prætereamus) vel pro *actu*, vel pro *habitu*, vel pro *objecto* seu *doctrina fidei*. Pro *actu* quidem *Matth. IX. 29. Rom. III. 28. 30. C. IV. 5. c. V. 1.* & alibi passim. De *habitu* verò explicari solet, quod *I. Cor. XIII. 13.* dicitur: *Nunc verò manet fides, spes & charitas.* Pro *objecto* denique sumitur eadem *Gal. I. 23. c. III. 2. 5. 23. Eph. IV. 5.* Quas significationes paucis complexi sunt, qui distinctione eadem, contractiùs tamen aliisque verbis adhibitâ dixerunt, *fidem* aliam esse quæ creditur, & aliam quâ creditur. *Ill*a est ipsa *fidei doctrina*, & dicitur *fides*, quia est objectum ejus. *Hæc* est vel *actus* vel *habitus credendi*, perinde ut *scientia* & de *actu* & de *habitu sciendi* dicitur.

II. *Habitu* verò *fidei* Scholastici communiter distinguunt in *infusum* & *acquisitum*: Quam tamen distinctionem non omnes eodem sensu explicant.

III. juxta *Thomam III. Sent. d. XXIII. q. III. a. II* *fides* una & eadē alio respectu *infusa*; alio *acquisita* dicitur: *infusa* quidē *quoad lumē*, quo articuli *fidei* cognoscuntur; *acquisita* verò *quoad determinationē*. Ad primum, inquit, dicendum, quod *habitus infusus* similis est *habitu innato*: quia sicut *naturalis habitus* datur in *creatione*, ita *infusus in reparatione*: *naturalis autem habitus* sicut *intellectus principiorum* indiget, ut *cognitio* determinetur per *sensum*, quo *acquisitus* non indiget: quia dum *acquiritur*, per *actum* *determinationem* recipit. Et similiter oportet, quod *fidei habitus* *determinationem* recipiat ex *parte nostra*. Et quantum ad *istam determinationem* dicitur *fides* *acquiri per scientiam Theologia*, quæ *articulos* *distinguit*, sicut *habitus* *prin.*



principiorum dicitur acquiri per sensum, quantum ad distinctionem principiorum, non quantum ad lumen, quo principia cognoscuntur. Et in resp. ad secundum ostendit Thomas, præter credendorum cognitionem, quâ habitus fidei infusus determinatur, alia etiam concurrere, quæ non sine nostris actibus in nobis dentur. In fide, ait, quatuor considerantur, scilicet ipsum, quod credendum est, ratio voluntatem determinans ad credendum, voluntas intellectum imperans, intellectus exequens. Et secundum hoc fides, quantum ad ejus determinationem, & quantum ad ejus actum, qui in nobis est, quamvis habitus sit infusus, dicitur esse ex quatuor, quæ in nobis sunt: quia quantum ad ipsum credendum dicitur esse ex auditu. Quia determinatio credendorum fit in nobis per locutionem interiorum, quâ DEus in nobis loquitur, vel vocem exteriorum. Quantum verò ad rationem, quæ inducit voluntatem ad credendum, dicitur esse ex visione alicujus, quod ostendit, DEum esse, qui loquitur in eo, qui fidem annunciat. Quantum verò ad imperium voluntatis dicitur fides esse ex voluntate: quantum autem ad executionem intellectus, dicitur esse actus fidei ex intellectu. Confer II. secunda q. VI. a. I. in Resp. ad secundum.

IV. Bonaventura III Dist. XXIII. de fide informi quest. II. in fide dicit esse spectanda duo: Unum, *materiale*; alterum, *formale*. Illud ipsi est cognitio articulorum fidei in particulari; hoc autem ipse habitus, quo inclinatur intellectus ad assentiendum. Quantum ad *materiale*, h. e. quantum ad credendorum notitiam, dicit fidem de lege communi non esse nisi acquisitam. Cum ergò, inquit, queritur, utrum fides sit habitus acquisitus vel infusus, respondendum est, si loquimur de fide quantum ad illud quod est *materiale* in ea, videlicet quantum ad cognitionem illam, quâ cognoscimus, qui sint articuli fidei, & scimus, quid est, quod per nomen dicitur, sic concedendum est, quod fides est per auditum & per acquisitionem secundum legem communem. Nemo enim scit, qui & quot sint articuli fidei, nisi didicerit legendo vel audiendo, nisi forte hoc habeat per privilegium speciale. Quod verò attinet ad *fidei formale*, h. e. ad ipsum habitum assentiendi, utitur Bonaventura distinctione, dicitque fidem aliam esse habitum infusum;

sum; aliam *acquisitum*, prout eam vel DEUS in homine sine ipso operatur, vel homo ipse suis actibus & viribus acquirit. Ejus verba d. l. sunt hæc: *Si loquimur de fide, quantum ad formale, videlicet quantum ad illud, quod facit assentire, sic dicendum est, quod quadam fides informis est per acquisitionem, quadam per infusionem.* Nam quidam assentiunt veritati audite, moti humanâ persuasione. utpote propter amorem & reverentiam dicentis, vel propter mirabilia, vel propter rationes & argumenta: & talis fides est simpliciter *acquisita* & c. Quidam autem assentiunt veritati fidei propter divinam illustrationem, sicut illi, qui innituntur primæ veritati super omnia & propter se, sicut multi Christiani, qui Charitatē non habent, & in talibus fides est per *infusionem*. Voluntariè enim assentiunt concomitante divina illuminatione: Illuminatione, inquam, quæ rationem elevat in his, quæ sunt supra ipsam. Unde sicut illuminationem ad futura præcognoscenda dicimus esse *infusam* propter hoc, quod in ipsa elevatur anima supra ea, quæ sunt ei naturalia, sic intelligendum est etiam in parte ista.

V. Scoto etiam frequens est distinctio fidei in *infusam* & *acquisitam*, quamvis III. Sent. Dist. XXIII. dubium ipsi videatur, an in adultis detur *fides infusa*. Unde ad quæstionem: *Utrum de credibilibus nobis revelatis necesse sit ponere fidem infusam*; respondens præmittit duo: Unum quidem certum; alterum incertum & dubium. Certum esse dicit, quod in nobis (loquitur de adultis) detur *fides acquisita*: incertum verò, an *infusa* etiam nobis insit, & si insit, in quo ejus essentia consistat.

VI. *Acquisitam fidem* eodem accipit sensu, quo Bonaventura, nempe pro habitu, quo assentimur iis, quæ in Scripturis revelata sunt, humana persuasionem moti, sive ex autoritate Ecclesiæ, vel parentum de Verbo prædicato testificantium, sive ex miraculorum, quibus confirmata est doctrina sacra, aut rationum, quibus eadem suaderi solet, consideratione facta sit persuasio illa. Probat enim d. l. de primo, quòd detur in nobis *fides acquisita*, verbis Augustini Epist. Contr. fund. Manichei: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia catholica commoveret autoritas.* Ex quibus infert, *libris canonis sacri non esse credendum, nisi quia*



primò credendum est Ecclesie approbanti & auctorizanti libros istos
& contenta in eis. Quamvis, pergit Scotus, aliqui libri
auctoritatem habeant ex auctoribus suis, non tamen adheremus eis
firmiter, nisi quia creditur Ecclesie approbanti & testificanti, veraces
esse eorum auctores. Unde dicit Aug. ibidem, quod Evangelium Na-
zaraeorum non admittam: quia non admittitur ab Ecclesia. Sicut
igitur si nulla fides infusa esset in me, crederem firmiter historiis libro-
rum canonis propter auctoritatem Ecclesie: sicut fide acquisita cro-
do aliis historiis, à quibusdam famosis viris scriptis & narratis. Credo
igitur fide acquisita Evangelio, quia Ecclesia tenet Scriptores veraces,
quod ego audiens acquirō mihi habitum credendi dictis illorum.
Et ibid. paucis interjectis infert Scotus ex Rom. X. 14. fidem ac-
quiri etiam ex consideratione miraculorum, quibus impii quo-
que & in peccato mortali constituti homines inducantur, ut
assensum præbeant doctrinæ à prædicante propositæ, propterea
quod ipsa naturalis ratio dicitur, DEUM non adistere homini
falsa docenti, ita ut ejus doctrinam miraculis confirmet.

VII. De fide autem infusa an detur, quamvis minùs cer-
tum videatur Scoto, in affirmativam tamen quæstionis partem
ipse tandem descendit, inductus, ut ait, autoritate Scripturæ
& Patrum.

IX. Porro naturam & essentiam ejus declaraturus, du-
plicem affert modum, quo exponi possit. Priorem quidem
his proponit verbis: Fides infusa similis est in aliquo fidei acquisita,
imò in multis. Nam sicut fides acquisita assentit vel credit dicto ali-
cujus: quia credit veracitati asserentis, illud esse verum: sic fides in-
fusã assentit alicui revelato, quia credit DEO vel veracitati DEI, asse-
rentis illud. Et quia quod DEUS asserit, supernaturaliter revelat:
ideò fides assentiens tali revelato, quia assentit veracitati revelantis, est
habitus supernaturalis: revelat autem credibilia, quando infundit
habitus. Et hoc modo dicendo fides non habet certitudinem ex obje-
cto, sed ex veracitate testis, scilicet DEI.

IX. Ad alterum verò modum ostendendum idem præsuppo-
nit, creatura h. e. fidei dogmata à viatoribus nunquam cogno-
sci evidenter, nec esse iis evidentiã ex terminis, sed positã totã a-
cti-

*Etione intellectus agentis & phantasmatum adhuc manere nobis ignota & neutra, ita ut vera an falsa sint, ex naturali lumine haut constet. Confer Prol. in I. Sent. q. I. Causa hujus rei, juxta ipsum, est, quod objectum à nobis non apprehenditur ex terminis in particulari & sub propria ratione, ut assensum in intellectu causare possit. Quo supposito dicit, ad assensum fidei in intellectu eliciendum requiri *agens supernaturale, supplens vicem objecti, quod DEUS est, infundens habitum*, quo intellectus ad assentiendum articulis fidei inclinatur, & quidem *immediatè*, ita ut per fidem infusam fidelis credat, v. g. *Deum esse unum & trinum, filium DEI esse incarnatum*, non quia prius credit, hoc esse revelatum à DEO, sed quia habitus ille infusus intellectum *immediatè in* hujusmodi dogmata inclinatur.*

X. Dicitur autem DEUS infundendo fidem supplere *vicem objecti*, non quod per fidei habitum credibilia intellectui representet: hoc enim fit per species, quæ per auditum vel lectionem Verbi intellectui se insinuant: sed quia habitus fidei à DEO infusus, simul ac fidei articuli ex Verbo revelato cogniti sunt, intellectum *immediatè* inclinatur ad assentiendum, quod aliàs fieri deberet per evidentiam objecti, si in particulari & sub ratione propria à nobis ex terminis cognosceretur.

XI. Inter duplicem hanc fidei infusæ explicationem id intercedit discriminis, quod juxta priorem DEUS revelans ad fidem se habet non solum efficienter, ut principium seu causa efficiens habitum assentiendi, sed etiam ut ratio assentiendi seu ut objectum formale vel ratio objectiva, intellectum determinans ad assentiendum: v. g. credo DEUM esse trinum & unum, quia revelatum est à DEO, & ratio assentiendi est revelatio Divina, vel DEUS revelans ut talis. Ergò prius credo, à DEO esse revelatum, quod DEUS sit trinus & unus. Juxta alteram fidei infusæ descriptionem DEUS revelans ad fidem se non habet ut ratio objectiva, seu objectum formale, sed tantum efficienter ut principium causans fidei habitum, & mediante habitu assensum v. g. credo eum esse unum & trinum, non quia prius credam, hoc esse à DEO revelatum, sed quia fides, quæ efficien-

A 3

ret



ter est à DEO, intellectum meum in propositionem hanc im-
mediatè inclinat.

XII. Hunc posteriorem modum explicandi fidem infu-
sam tradidit Scotus ad declinandam difficultatem, quæ urget al-
terum, & ita habet: Si credit fidelis v g. DEum esse trinum & unum
propterea, quod revelatum sit à prima veritate (h. c. DEO) DE-
um esse trinum & unum, quæro, quomodo credat, hoc, quod
DEus sit unus & trinus, esse revelatum à DEO. Si enim huic: DEUS
est trinus & unus, assentior, quia est revelatum à Deo, magis assentior
huic: hoc quod DEus sit trinus & unus, est à DEO revelatum: sicut qui as-
sentitur conclusioni propter principia, magis assentitur principiis. Quod
si dicas, huic propositioni, DEum esse trinum & unum, revelatum est
à DEO, te assentiri, quia revelatum est à DEO, quod DEus sit tri-
nus & unus, esse à DEO revelatum, rursus quæro, quomodo huic
assentiaris, & ita in infinitum, & consequenter nunquam arti-
culi fidei firmiter credi possunt, sicut si scientia conclusionis re-
solveretur in principia, & hæc in alia principia, & sic in infini-
tum, nunquam sciretur aliquid. Quod si verò quis dicere velit,
huic propositioni: DEum esse trinum & unum, est revelatum à DEO,
assentiri se fide acquisitâ tantum, regerit Scotus, sic consequens fo-
re, ut fides infusa & quoad essentiam & quoad actum assentiendi
dependeat ab acquisita, quod absurdum.

XIII. Scotum sequitur Gvilielmus Occam III. Sent. q. VII.
a. III, Gabriel Biel. d. I. q. II Marsilius d. I. q. XIV. ar. I part. I. nisi quod
duplicem declarandæ infusæ fidei modum ab ipso traditum, pau-
lò aliis verbis proponunt. Nam juxta Occam fides infusa potest
explicari: I. Ut pro objecto immediato habeat solum hoc complexum:
Omne revelatum à DEO est verum, sicut revelatum est esse verum;
quod sit præmissa & principium parziale, ex quo inferendi
sint omnes articuli fidei in particulari. De quocunque enim
articulo revelato quis subsumserit, inferetur, illum esse verum:
ut ita fides infusa mediatè, mediante scil. actu, quo creditur,
omne revelatum à DEO esse verum, intellectum inclinet ad cre-
dendum quodlibet revelatum dogma in particulari. Addit-
autem ibidem: Fidem infusam cum intellectu non esse principium.

sufficiens ad eliciendum actum credendi circa articulos fidei speciales, nisi accedat etiam fides acquisita circa illos articulos, quæ ut causa partialis simul concurrere debet: imò nec circa suum primum & immediatum objectum: Omne revelatum à DEO est verum; eam cum intellectu actum credendi elicere posse, nisi accedente fide acquisita circa illud. II. Ut pro objecto immediato habeat etiam omnes articulos fidei, & per modum cause partialis, æquivoca tamen cum fide acquisita immediatè concurrat ad eliciendum assensum, non obstante, quod articuli distinguantur specie, ut & actus circa illos. Neque enim inconveniens est, ut multorum effectuum specie distinctorum sit una causa æquivoca immediatè, sicut patet de sole respectu hominis & asini. Sicut enim Sol immediatè concurrat in generatione hominis & asini, & cum homine hominem; cum cum asino asinum generat: Ita fides infusa immediatè concurrat cum fide acquisita ad assensum, circa quemvis articulum fidei in particulari eliciendum. Et quia fides acquisita circa aliud atque aliud dogma alia atque alia est, ideò fides infusa, quæ una qualitas, cum acquisita circa hoc dogma hunc; & cum acquisita circa illud dogma illum elicit assensum, immediatè quidem, sed ut partialis causa, & cum concursu fidei acquisitæ. Supponit enim Occam, fidem infusam esse habitum unum: acquisitæ autem tot esse habitus, quot sunt articuli crediti.

XIV. Hisce paria tradit Gabriel Biel, d. l. & inter fidem acquisitam & infusam hoc dicit intercedere discriminis, quod I. infusa sit habitus à Deo supernaturaliter & immediatè in hominis anima creatus; acquisita verò habitus ab homine naturaliter productus, per actus credendi frequentatos. II. Hac immediatè inclinatur ad actum credendi, nec aliud coëxigit, nisi apprehensionem credibilis, i. e. veritatis credendæ, sicut etiam ex actibus huiusmodi est genita. Illa nunquam inclinatur ad actum credendi respectu cujuscunq; objecti sive proprii sive mediati sine habitu acquisito vel actu ejus. III. Fides infusa est unica circa omnes articulos credendos: cujus tot esse habitus, quot articulos fidei, inferiùs conc. V. & VI, ostendit. IV. Infusa corrumpitur per quemcunque errorem circa quemcunque articulum: acquisita verò stat cum errore respectu alterius articuli seu objecti.

XIV.

XV. Cum *Scoto & Gabriele* consentit *Marsilius III. q. XIV. part. 3.* qui inter alia actus *fidei infusa* proprios & primos, quibus omnes ceteri innitantur, tres numerat: *primus est, assentire huic: DEus est. Secundus: credere, DEum esse veracem. Tertius: credere, quod omne revelatum per primam veritatem sit verum.* Unde dicit, apud fidelem prima principia generalia esse: *DEum esse, ipsum esse veracem, & omne quod per DEum revelatur, esse verum:* quæ si puero baptizato, ad annos discretionis jam pertingenti, proponantur, putat ipsum simul ac terminos intellexerit, iis assensum præbiturum, perinde ut primis naturæ principiis statim ex terminis apprehensis absque interventu alicujus discursus assentimur.

XVI. Juxta *Scotum* igitur, & qui eum sequuntur, *Occanum Gabrielem & Marsilium* in quolibet fidei adulto circa quemvis articulum fidei creditum datur duplex fides: *acquisita scilicet & infusa.*

XVII. Ex recentioribus *Gvilielmus Estius III. Sent. Dist. XXIII. §. X.* eandem laudat distinctionem fidei in *acquisitam & infusam:* addit autem, *non ita distinguendum esse inter hanc & illam, quod illa oriatur ex solis viribus naturæ; hæc ex DEI dono. Nam ea etiam fides, quæ ex auditu concipitur, ab excitante & adjuvante gratia DEI habetur, sed ita ut ad eam motus propriæ voluntatis, utpote ejusdem gratiæ effectus requiratur.*

XVIII. *Vazquezio part. I. Disp. V. c. II* fides *acquisita* dicitur *assensus, qui proximè deducitur ex testimonio humano, cui dicitur credere, qui ei habet fidem.* Quam distinguit ab *opinionem*, quod propriè *opinio per rationem aliquam probabilem haberi* dicatur. Non tamen diffitetur, *fidem* quandoque in latiori significato usurpari, ut *opinionem* quoque suo ambitu complectatur: atque sic putat omnem assensum, qui vel ex solo testimonio humano, vel ex signis, vel ex ratione proximè deducitur, *fidem acquisitam* appellari consuevisse, quam ipse *fidem humanam* appellat, cui, ex ejus mente, respondet *fides divina*, sic dicta, quod proximè *Divino testimonio innitatur.* Quibus superaddit *tertiam assensus speciem*, superioris quidem ordinis, quam *fides acquisita* vel *opi-*

no est; inferiorem tamen *fide divinâ*, eum scil. qui nititur discursu, deducto *ex articulis, fide divina creditis.*

XIX. Hæc Scholasticorum commenta si inter se conferantur, quantum ad *fidem infusam* conveniunt inter se, I. quòd producat a DEO in homine immediatè & absque interventu humanorum actuum. II. quòd præcisè & in se spectata nullius articuli fidei habitualem notitiam involvat, & propterea nec sufficiens principium sit ad actum assentiendi cum intellectu eliciendum, nisi fides acquisita accedat. III. Cùm *fides* circa aliquod dogma *acquisita* adest, *infusam* in idem ferri *immediatè*, & juxta *Scotum, Occam ac Marsilium* quidem ita, ut utriusque circa quodlibet objectum unus, quoad substantiam, actus sit. IV. Quia *fides infusa* est habitus simplex, inclinans intellectum in quodlibet objectum, *acquisita fide* apprehensum & cognitum, idq; immediatè facit & absq; discursu, ultrò sequitur, eam *non esse discursivam*. Hinc enatum illud Scholasticorum tritissimum: *Fidem, intellige infusam, non esse discursivam, sed simpliciter apprehensivam*. V. Et quia *discursiva non est*, sequitur ulterius, quòd pro objecto non habeat *conclusiones ex Scripturis illatas*. Ex quo rursus orta distinctio Scholasticis receptissima inter *articulos fidei & conclusiones Theologicas*: quæ hodiè basis & fundamentum est *Artis illius Novæ*, quam sub initium hujus sæculi in Gallia Jesuitæ nonnulli gloriabundi, nominatim *Gonterius, Arnoldus & Veronius* nescio quâ vanâ reportandæ à Protestantibus victoriæ præsumptione in lucem edidere; quamq; licet dudù à pluribus prostratâ & dejectam *Fratres Walenburchii* hactenus per Germaniam sub titulo *Methodi Augustiniana* disseminare & simplicioribus obtrudere impensè laborârunt, innixi potissimùm hoc ipso allato fundamento, quòd aliud sit *articulus fidei*, aliud *conclusio Theologica*. Supponunt enim, Protestantes recessisse ab Ecclesia Pontificia ob errores, quos fovent Pontificii, in ipsam fidem impingentes, & propterea incumbere ipsis, ut in disputatione contra Pontificios suam sententiam probaturi, vel oppositam impugnaturi semper hujusmodi afferant probationes, quæ sufficiant ad probandum *articulum fidei*, vel ostendendum

B

erre-



errorem in fide. Hujus autem generis probationes nullas dari, *præter expressa vel synonyma Scripturæ verba*, eò quod *fidei objectum formale sit revelatio formalis*, nec quicquam *in articulis fidei* habendum sit, quàm quod formaliter est revelatum. Concedunt igitur consequentiarum usum in Controversiis Theologicis ad inferendam *conclusionem Theologicam*; concedunt, conclusionem ex una propositione in Scripturis revelata; alterâ verò rationis evidente & necessaria, in forma rectè illatam esse necessariò & infallibiliter veram: negant verò hujusmodi *conclusionem* esse *articulum fidei* & fide infusa credendam; negant etiam, quòd in controversiis, ubi *articulus fidei* probandus vel *erroris in fide* quis convincendus est, consequentiis uti, aut præter expressos vel æquivalentes Scripturæ terminos adferre quicquam liceat.

XX. Quamvis verò, distinctione inter *articulos fidei* & *conclusiones Theologicas* suo loco relictâ, *να] ἀνθερωρον* responderi, & solidè ostendi possit, Protestantibus in controversiis cum Pontificiis sibi intercedentibus sufficere, si suam, quam adfirmant, sententiam certò & infallibiliter veram esse, sive totidem Scripturæ verbis, sive per consequentiam ex Scripturis ritè deductam probaverint; aut oppositam adversariorum opinionem necessariò falsam esse, talem aliquem in modum evicerint: tamen cum prædictam distinctionem toties adversarii ingeminant, & ferè in omnibus suis responsionibus ad eam velut ad commune quoddam & invictum propugnaculum se recipiant: nonnullum operæ pretium facturos nos speramus, si in gratiam studiosæ juventutis illam paulò altiùs consideremus.

XXI. Ut verò ex suis fundamentis rei tractatio arcessatur, ad tria revocari poterunt, quæ nunc in considerationem venient. Unum est *fidei habitus*: alterum illius *actus*: tertium ejusdem *objectum*. Circa illud considerabitur, *an fidei habitus immediatè à D E O in homine producat*? & *in quo consistat*? Circa istud dispicietur, quomodo & sub qua ratione fides cum intellectu actum assentiendi eliciat, & utrum *discursiva* sit, an verò *simpliciter apprehensiva*? Circa hoc, quæ sit *articulus fidei formalis ratio*

609

tio, & utrum ac quo modo à conclusione Theologica differat, diligentius explicabitur.

XXII. Atque ut à primo exordiamur, inter Scholasticos veteres & recentiores, quos quidem inspicere nobis licuit, omnes convenit, quòd in quolibet fidei habitualis *fides divinitus infusa* necessaria sit, quamvis non omnes eandem necessitatis rationem assignare soleant.

XXIII. Dum verò fidem *divinitus infusam* dicunt, duo cum primis significant. Unum : qui fidei *autor & dator* sit. Alterum, *quo modo* eadem hominibus *detur* seu conferatur. De priori nulla inter nos & ipsos lis est. Utrinque enim convenit, fidem salutarem non esse humanarum virium opus, sed oportere à DEO conferri supernaturaliter. *Modum* verò, quo conferatur, *specialem infusionis* voce exprimunt. *Infundi* enim dicunt, quæ DEUS *in nobis sine nobis*, (i. e. immediatè & absque interventu nostrorum actuum) *operatur*, ut *Thomas I. II. q. LV. a. IV.* verbis *Augustini* sese explicat ; vel quæ *supernaturaliter & immediatè* à DEO *in hominis anima creantur*, ut loquitur *Gabriel Biel d. I. q. II. a. I.* In quo ut illi a Scripturis sacris ; ita nos Scripturarum ductum secuti ab ipsis recedimus.

XXIV. Cæterum ut in quo dissentiamus, clariùs evadat, nonnulla hîc monenda ducimus. Et quidem I. quæritur hoc loco præcise *de modo* quo DEUS fidem hominibus conferat : Utrum per *infusionem*, seu *immediatè* ? an verò *mediatè*, & intervenientibus aliquibus actibus, ex parte hominum requisitis ? II. In quæstione proposita vox *immediatè* opponitur *1. actibus nostris*, fidei habitum ut connaturale & effectivum ejus principium præcedentibus ; & *2. Verbo DEI* tanquam organo seu causæ fidei conferendæ efficienti instrumentali. III. Porro *actus nostri* duplicis sunt generis. Quidam enim dicuntur *nostris*, quòd à nobis ex nostris viribus procedant, quales sunt actus intelligendi & volendi ea, quæ naturali rationi sunt subjecta. Alii verò *nostris* dicuntur, quòd à nobis quidem sunt, & ab animæ potentiis intellectu aut voluntate eliciantur, sed non per suas ipsarummet vires, sed per *actualem Spiritus sancti gratiam*, quæ in ipsis per Verbum DEI sese exerit, easque ad
B 2 hujus :

hujusmodi actus eliciendos elevat. Et de his posterioris ordinis actibus nostris sermo hic est, ut quaestionis cardo in eo vertatur: *Utrum fidei habitum DEUS homini immediatè & absq; interventu Verbi DEI vel ullius actus, à Spiritu S. per Verbum in nobis excitati, tanquam principii effectivi illius; an verò mediatè, mediante scilicet organo Verbi & actibus nostris, quos Spiritus S. per Verbum in nobis efficit, tanquam principii illius conferat?* IV. Præterea ætatis intuitu distingvuntur homines in *infantes & adultos*. Licet autem agnoscamus, utriusque ætatis hominibus convenire *fidem*, tamen *infantum fides* qualis sit, & in quo consistat, ille novit, qui eam confert; nobis autem nec ex Scripturis sacris, nec aliunde in hac naturæ infirmitate distinctè nosse conceditur. Unde, missâ illâ, præsens nostra disputatio occupabitur in discutiendo modo, quo adultis sive primùm convertendis conferatur; sive post conversionem in peccata contra conscientiam prolapsis reparetur fides à DEO: immediatè scil. an mediante Verbo nostrisque actibus, per Verbum à Spiritu S. excitatis?

XXV. Quæstio hæc quia concernit rem, quæ nec sensibus obvia est, nec ratione naturali pervestigari potest, aliunde decidi nequit, quàm ex Scripturis sacris, in quibus revelavit DEUS omnia supra naturam posita, quæ nosse nostrâ quidem interest.

XXVI. Scripturæ sacræ verò posteriorem ejus partem adstruunt, quod vel solus locus Paulinus *Rom. X. 17.* luculenter evincit: ubi Apostolus totus in eo est, ut rationem & modum conferendæ hominibus fidei tradat, & claris verbis dicit: *Fidem esse ex auditu.* Loquitur autem de adultis, & significat

I. quòd fidem DEUS ordinariè iis non conferat, nisi mediante auditu Verbi prædicati, tanquã organi ad hunc effectum producendum à se ordinati. Nam, ut rectè observavit *Estius in b. l.* verba hæc: *Fides est ex auditu*; cum exclusionem accipienda sunt, hoc modo: *Fides non est nisi per auditum, saltem ordinariè.* Quod enim superiore versu 14. per interrogationem dixerat Gentium doctor: *Quomodo credent ei, de quo non audiverunt? Quomodo audient absq; prædicante?* sine dubio sensum habet negativum, hunc scilicet: fieri non potest, ut credant in eum, de quo

quo non audiverunt: fieri non potest, ut audiant absque prædicante &c Ex quo sequitur, *fidem ita esse ex auditu*, ut citra auditum ordinariè nemini obtingat.

II. *Sub auditu* autem comprehenditur etiam lectio, quæ fit mediante visu. *Sicut enim per auditum (Verbi) plurimi, ita per lectionem (ejus) multi crediderunt.* Nam ad hoc scripta sunt Evangelia, ut (eorum lectione vel prædicatione accendatur fides &c) credant. *Hec scripta sunt, ait Johannes Evangelii sui cap. 20. ut credatis, & credentes vitam habeatis: Verbis utor Estii d. l.*

III. Quod subjungit Paulus: *auditus autem per Verbum DEI*; à Beza refertur ad *Verbum mandati*, quasi dicat: *Auditus autem est ex mandato Dei, à quo mittuntur, qui Evangelium prædicent.* Alii, forsan commodiùs, de *prædicationis*, eique respondentis *auditus objecto* id acceptum, & ἐξ ἡγρηκῶς additum esse volunt, ad declarandum, qualis *auditus intelligatur*, cum *fides* dicitur *esse ex auditu*, nempe *auditus Verbi*, quod prædicatur & auditu percipitur; ut ita vis accendendi fidem tribuatur *auditui* non ut est *auditus* & actus animæ nostræ, sed ut est *auditus Verbi prædicari*, cui ut organo Spiritus sancti convenit efficere fidem. Quando enim Verbum DEI prædicatur, & vox prædicantis ferit aures auditorum, penetrat illud per auditum ad interiora cordis, & pro ea, quâ pollet, vi & efficacîâ, concurrente Spiritus S. operatione, efficit fidem in iis, qui interiùs obicem non ponunt. Quod si verò cum Beza de *verbo mandati* quis illud διὰ πῆματ' ὁ θεὸς accipere malit, ei nihilo minùs concedendum erit, quod *auditus* vocabulo implicitè ejus objectum, scil. *Verbum prædicatum* simul involvatur, & *fidem esse ex auditu* tribuatur auditui non ratione *sui*, & ut *auditus* est, sed ratione *objecti, Verbi DEI* scil. quod eo percipitur.

IV. Non solùm *auditus* vel *lectio*, sed etiam *attenta Verbi auditi vel lecti consideratio & meditatio* ex parte hominis requiritur, si id in quopiam efficax esse, fidemque accendere debeat: quod alibi ostendi solet, hîc autem monuisse sufficere potest.

V. Licet *fides*, quæ dicitur *ex auditu* esse, in versiculis præcedentibus exprimat^{ur} verbo πιστεύω, *credere*, quod formaliter



maliter *actum fidei* importat: non tamen de solo *actu*, sed de ipso etiam habitu credendi accipiendum esse citatum *locum*, vel inde patet, quod in hoc *capite X.* Apostolus sibi proposuit describere eos, qui sunt in gratia, DEO placent, & salvantur, iisque tribuit, quod habeant *justitiam, quæ ex fide est*, quod *confiteantur ore Dominum Jesum Christum, & credant in corde suo*, quod *DEus eum excitaverit à mortuis*, v. 9. quod *credant in Christum* v. 11. & *invocent nomen Domini*, v. 13. Quæ sanè continent descriptionem ipsius status fidelium. Qui enim à DEO in gratiam recepti ejusque filii & vitæ æternæ hæredes sunt, eos oportet ita esse comparatos, ut in fide ac justitia semel apprehensa constantes, & in invocatione DEI assidui sint & perseverent. Hoc autem ex habitu fidei provenit, qui actuum credendi & invocationis permanens & constans principium est. Unde quando Paulus ex iis, quæ *d. l. v. 14.* seq. de necessitate & causa fidei dixerat, v. 17. infert: *Ergò fides est ex auditu*; clarum est, eum non tam de fidei *actu* agere, quàm de ejus *habitu*. Loquitur enim de fide, per quam constanter quis credit in Christum, & assiduus est in invocatione Dei, quæ est ipse habitus fidei, subinde actus credendi in homine eliciens, & ad veram DEI invocationem eum interiùs sollicitans. Addo, quod si vel maximè quis *actum* fidei hoc loco vellet intellectum, non tamen appareret, quomodò stante, quod actus, qui habitum fidei præcedunt, ex auditu sint, de habitu id negari possit: cum hic sit connaturalis ordo inter actum & habitum, ut ille hujus principium & causa sit, quando eum antecedit. Quod non diffitetur *Estius d. l.* cum scribit: *Loquitur Apostolus de fide actuali, de qua dixerat: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quamquam & fides habitualis ex auditu est in adultis. Nam ut acquirant, debent priùs actu per auditum credere.*

XXVII Hinc ita argumentamur: Qui habitus homini ordinariè à DEO non confertur, nisi per Verbum auditum vel lectum ac diligenter consideratum, ille non est habitus infusus, i. e. habitus immediatè & absque interventu nostrorum actuum à DEO productus.

Atqui

Habitum.

Atqui fidei habitus homini ordinariè à DEO non confertur, nisi per Verbum auditum vel lectum ac diligenter considerata.

Ergò fides non est habitus infusus, i. e. immediatè & absque interventu nostrorum actuum à DEO productus.

Major propositio evidens est. Repugnat enim, esse habitum infusum seu immediatè à DEO productum: & esse habitum productum mediatè & interventu nostrorum actuum, quibus verbum DEI audimus & meditamur. Minor constat ex hactenus dictis.

XXVIII. Scotus etsi non negat, quòd verba, ex Rom. X. 17. citata, accipienda sint de habitu fidei, qui ex auditu Verbi dependeat efficienter: existimat tamen, ea agere tantùm de fide, humanis viribus acquisita. Cùm enim d. l. ex Apostolo adduxisset hæc: *Quomodo credent ei, quem non audiverunt? quomodo audient sine predicante? quomodo predicabunt, nisi mittantur?* subjungit statim: *Igitur secundum Apostolum fides est ex auditu: auditus autem ex predicante: predicare autem nullus potest, nisi mittatur. Igitur de primo ad ultimum non potest homo credere, nisi audiat aliquem predicantem sibi credibilia. Hoc argumentum non valet, nisi loqueretur de fide acquisita. Ratio ejus est: quia hæc fides generatur ex hoc, quòd audit verba predicantis, adhibendo fidem dictis suis: quia non oportet quemlibet talem esse bonum moraliter per charitatem infusam; sed potest esse in peccato mortali, & audiendo predicantem & videndo miracula fieri, credit ei, & hoc quia dicitur sibi naturaliter ratio, quòd DEus non adssistit falsitati alicujus operando miracula ad falsa alicujus predicata vel dicta. Igitur fides illa precedit charitatem, & per consequens est acquisita: quia infusa non infunditur, nisi cum charitate. Eundem in modum Biel. d. l. art. II. concl. I. scribit: *Fides acquisita ad credendum fidei articulos est necessaria. Probatur illa conclusio autoritate Apostoli Rom. X. Fides est ex auditu: auditus autem per Verbum Christi. Et præmisit: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine predicante? quæ non possunt intelligi de fide infusa, QUÆ NON EST EX AUDITU predicationis, sed IMMEDIATE CREATA à DEO. Ex Petrus de Palude lib. & dist. eadem q. II. ex hoc ipso loco probatur fides acquisitam: Quod, inquit, oportet ponere*
*fides**

fidem acquisitam, probatur sic: Apostolus Rom. X. fides inquit est ex auditu: sed fides ex auditu est fides acquisita. Ergo oportet ponere fidem acquisitam.

XXIX. Ita illi: sed contra Apostoli mentem, sicut contextum penitiùs intuenti facilè constabit. Nam I. *Paulus agit d. l. de fide justificante & de iustitia fidei, opposita iustitiæ, quæ ex lege est, v. 4. 5. de fide, ex qua est iustitia, v. 6. & quæ creditur ad iustitiam v. 10. quæ positâ salus ponitur v. 9. Deique invocatio rectè habet v. 14. Quæ non nisi fidei Divinitus collatæ convenire ita clarum est, ut etiam Bonaventura d. l. 5. ad illud igitur, quod primo objicitur, alteram opinionem de fide, viribus humanis acquisita minùs probabilem, nec ad mentem Pauli esse agnoscat.*

II. Dicit Scotus, *Pauli argumentum non valere, nisi loqueretur de fide (humanis viribus) acquisita. Sed quidnî valeret? Stante enim, quòd donum suum fidem DEUS in homine convertendo ordinariè non efficiat, nisi per Verbum prædicatum, & auditu perceptum, sicut alium ejus in adultis, de quibus ibi agitur, accendendæ modum Scriptura nuspiam tradit: non potest non sequi, illam ipsam, quæ non nisi à Deo est, fidem per se & efficienter esse ex auditu Verbi. Nec ullius ponderis est ratio, à Scotto adducta. Esto enim, in iis etiam, qui Verbi efficaciam interiùs obicem ponunt, fidem quandoque generari ex consideratione miraculorum, ipsâ naturali ratione dictitante, quòd DEUS falsam alicujus doctrinam miraculis non confirmet, eosque ad assensum Verbo prædicato præbendum sic inducente! Num obstat hoc, quò minùs in aliis, qui interiùs obicem non ponunt, vera & salutaris fides ex Verbi ipsius efficacia nascatur, & sic efficienter sit ex auditu Verbi? Imò verò in uno & eodem subiecto nonnunquam contingit, ut ex motivis externis priùs ad aliqualem assensum quis inducatur, & postea Verbi prædicati efficacia demum sese exerat, fidemque veram accendat: sicut Job. IV. 39. Samaritani initiò credebant, Christum esse promissum mundi Servatorem, propter sermonem mulieris, testificantis, quòd sibi dixisset omnia, quæ fecisset: postea autem ex ipsius Verbi à Christo prædicati efficaciam credebant, dicentes v. 42. ad mulierem: Jam non propter tuam orationem credimus: ipsi enim audimus*

vimus

vimus & scimus, quòd hic verè est Servator mundi Christus. Sicut ergò inter se non pugnant, sed sibi subordinantur Verbi efficacia, quâ fides accenditur, & externa illa motiva, quæ quocunque modo ad fidem inducunt: ita nec ex eo, quòd multi Verbum audientes, ex miraculorum intuitu & consideratione aliquam concipiunt fidem, inferre licet, veram & salvificam fidem non esse efficienter ex efficacia ipsius Verbi, sicut Scotus inferre videtur.

III. Quod Biel dicit, verba Pauli non posse intelligi de fide divinitus collata, quam infusam vocat, eò quòd hæc non sit ex auditu prædicationis, sed immediatè à DEO creetur, eo 1. petit id, quod est in principio. Hoc ipsum enim in quæstione est, an fides, quam DEUS homini confert, immediatè ab ipso in hominis anima creetur, an verò mediante auditu & meditatione Verbi accendatur? 2. Contradicit Scripturæ, quæ adultis ordinariam impetrandæ à DEO fidei viam nullam ostendit, quàm per *auditum Verbi prædicati*, vel per ejus lectionem. 3. ab Enthusiastarum somniis parum vel nihil recedit.

XXX. Thomas II. II. q. VI. a. I. ad secundum & III. Sent. Dist. XXIII. q. III. a. II. item Bonaventura & Albertus Magnus ib. q. II. & Durandus q. VI. admittunt, quòd Paulus d. l. agat de fide, quam DEUS in homine efficit: ne autem Verbo DEI vim & efficaciam accendendi illam tribuere cogantur, dicunt, eam esse ex auditu non absolutè & simpliciter, sed *secundum quid* saltem, nempe *quantum ad ipsum credendum*, seu quantum ad objectum, juxta Thomam: *non ratione ejus, quod est formale & completivum* (h. e. non ratione ipsius habitus) *sed ratione ejus, quod est materiale*, utpote ratione cognitionis articulorum fidei, juxta Bonaventuram & Albertum: *vel quantum ad propositionem credibilem, non quantum ad habitum*, juxta Durandum. Quibus ex recentioribus assurgit Svaretz de Tripl. Virt. Theol. Disp. III. Sect. XII. n. XIII. qui hoc ipso de loco Pauli agens: *Fides, inquit, infusa licet interiùs à DEO fiat, tamen per auditum quasi inchoatur quoad objecti propositionem.* Et Sect. III. n. V. *Dixit Paulus Rom. X. fidem esse ex auditu: quia per auditum formatur in mente conceptus & apprehensio rerum credendarum.* Qui omnes fidei productionem

C

nem



nem soli DEO ita adscribunt, ut *Verbum DEI* ad eam nihil conferat, quàm quòd intellectui objectum, h. e. dogmata credenda proponat. Unde *Capreolus III. Sent. d. XXIII. q. Un a III.* cùm verba *Thomæ* superiùs à nobis adducta recitasset, tandem concludit, *prædicationem exteriorem requiri ad determinationem credendorum & ad proponendum intellectui suum objectum materiale, non autem ad causandum assensum.* Et *Suarez d. l.* notanter dicit: *Fidem QVASI INCHOARI per auditum Verbi, ne Verbo DEI verum influxum in ipsam habitus fidei productionem tribuere videatur; & addit insuper modum, quo fides dici possit per auditum Verbi inchoari: nempe non quòd fidei habitus à Verbo audito efficienter dependeat, sed tantùm quoad objecti propositionem.*

XXXI. Verùm hanc glossam, quibuscunque tandem verbis proponatur, ipsa refellunt verba Apostoli, clarè dicentis, ipsam fidem, *quâ creditur, esse ex auditu.* Ea verò formaliter & intrinsecè est vel habitus vel actus assentiendi. Et quidem de habitu assentiendi hîc agi, concedunt illi, contra quos disputamus. Ergò ipse habitus assentiendi est ex auditu. Deinde ita colligimus: Fides, quam Paulus dicit esse *ex auditu*, est fides, quâ creditur ad iustitiam, quâ creditur sermoni Apostolorum, quâ creditur, quòd DEUS JESUM excitaverit ex mortuis &c. sed fidei objectum vel objecti propositio, aut ejus cognitio nuda non est fides illa, quâ creditur ad iustitiam, quâ creditur sermoni Apostolorum &c. Ergò objectum fidei vel objecti propositio, aut ejus cognitio nuda non est fides illa, quam Paulus dicit esse *ex auditu*, & consequenter limitatio illa, quæ juxta citatos Dd Scholasticos adhibenda, repugnat contextui *Pauli*. Præterea qui verba *Pauli* prædictum in modum restringunt, & quæ absolutè *fidem ex auditu esse* pronunciant, non de *fide secundum se*, sed de *objecti fidei propositione* vel cognitione intelligenda esse contendunt, illi recedunt à literæ proprietate, & propterea tenentur hujus suæ explicationis necessariam & cogentem reddere rationem. Tamdiu enim verba accipienda sunt propriè, vel absolutè, donec adferatur ratio cogens, ob quam aliter & impropiè vel sub restrictione aliqua accipi ea oporteat. Hoc autem
pro

probaturo duo incumbunt ostendenda : I. Verba, de quorum sensu agitur, non posse accipi, ut sonant. II. eadem debere sub hac restrictione vel improprietate accipi. Merito igitur quaerimus ex citatis Dd. Scholasticis, & iis, qui illorum vestigia etiamnum sequuntur, quam habeant suae negationis rationem, cum negant, ipsum fidei assensum, qui alias fidei appellatione absolute adhibitam indubie intelligitur, esse ex auditu ?

X XII. *Thomas II. II. q. VI. a. I.* urget illud *Ephes. II. 8* *Gratiae estis servati per fidem: idq; non ex Vobis, DEI donum est.* Scotus d. l. citat ex *Ebr. XI. 6. sine fide impossibile est, placere DEO,* & addit: *Sed multi placent & multi placuerunt DEO.* Igitur necesse est ponere fidem respectu credibilium revelatorum: & quod loquatur de fide infusa, patet per eundem *I. Cor. XII.* ubi dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, & post subdit de istis virtutibus Theologicis, quae sunt viae excellentiores omnibus habitibus acquisitis: ibi enim loquitur de fide infusa, sicut de charitate infusa.* Gabriel Biel d. l. a. II. *Concl. III.* Scotum secutus eundem citat locum ex *Ebr. XI. 6. Impossibile est, sine fide placere DEO,* & ita colligit: *Sed multi placuerunt DEO sine fide acquisita, ut patet de infantibus pro Christo ab Herode occisis, & similiter de infantibus baptizatis Ergo in iis fides fuit: non acquisita, patet: Ergo infusa.* Huic subiungit alia Scripturae dicta *I. Cor. XIII. 13. Rom. I. 17. c. III. 28. Eph. II. 8.* Quae de fide acquisita intelligi non possint, speciatim vero ultimum, quo fides dicitur *DEI donum,* cum acquisita fides non sit *DEI donum, sed opus nostrum.*

Denique Scripturae auctoritati subiungit rationem a posteriori, quae ita habet: *Duo audiunt eundem predicantem, & vident eadem miracula facientem: unus credit, alius non: ut patet in predicatione Christi & Apostolorum. Cujus ratio est; quia ille recipit donum fidei de super, alius non: nec alia ratio facile dari potest.* Eadem ratione utitur *Thomas II. II. q. VI. a. I.* ad probandum, quod *predicatio Verbi ipsum fidei assensum interius non efficiat.*

XXXIII. Verum haec vel a praesenti loco aliena, vel infirmiora sunt, quam quae a nostra sententia dimovere nos possunt. Nam

I. Scripturae loca citata, si quicquam, hoc unum probant:
C 2 Fidem,

fidem, quâ justificamur & salvamur, & sine quâ DEO placere nemo potest, non esse nostrarum virium opus, sed *DEI donum*, de quo nulla hîc quæstio est. Quod si verò inde quis inferre velit, eam esse *donum immediatè* à DEO collatum, vel, ut *Belloquitur, immediatè creatum*, negabitur consequentia: cum de ratione donorum Divinorum non sit, ut immediatè à DEO conferantur. Nam quæ DEUS per certa media homini gratis confert, rectè etiam dicuntur dona DEI. Et quia de fide utrumq; docet Scriptura, nempe quòd & *DEI donum* sit, & *per auditum Verbi* conferatur, utrumque etiam credendum est, cum nulla inter ea repugnantia intercedat.

II. Quod ad infantes baptizatos attinet 1. concedimus, quòd Spiritus S. in ipsis gratiâ suâ per baptismum operetur, & efficiat, ut placere DEO incipiant. In quo autem illa Spiritus S. operatio consistat, & quem habeat terminum productum, in hac naturæ infirmitate distinctè cognosci nequit. Unde enim, Scripturâ tacente, id homini innotescet? Quod Scholastici & Pontificii moderni dicunt, ipsos *fidei* & cæterarum virtutum Theologicarum *habitus* iis per baptismum infundi; id nec Scripturæ aliquo idoneo testimonio probari potest, nec alio nititur fundamento, quàm opinione de justificatione *per gratiam infusam*, quam falsissimam esse, dudum à nostris ex Scripturis sacris ostensum fuit. 2. Sed fac, infantibus habitualem fidem per baptismum infundi: quid hoc ad præsens? An à particulari ad universale progredi, & ex eo, quòd infantibus fides infunditur, colligere licet, eam ordinariè omnibus, adultis æquè ac infantibus sic conferri, & propterea illud *Pauli: Fides est ex auditu*; non de ipsa *fide in se*, sed de *fidei objecto* ejusve propositione aut cognitione intelligi oportere? Cur non potiùs ex verbis *Pauli: Fides est ex auditu*; concludis, fidem per se & ordinariè non infundi, sed per auditum & meditationem Verbi conferri iis quidem, qui per ætatem Verbum prædicatum audire & meditari possunt; ex accidente autem infundi infantibus, quòd Verbum audire & meditari secum non possint? præsertim cum in Scripturis sacris ille fidei adultis conferendæ modus clarè doceatur, de infantibus verò an fide habituali polleant, & quomodo ea ipsis conferatur, altum sit silentium.

III.

III. Denique quod multi Verbum prædicari audiunt, nec tamen fidei habitu donantur, causa non est, quod Verbum prædicatum non sit efficax organon accendendæ fidei, vel quod DEUS fidem non conferat per auditum Verbi, sed vera causa, quærenda est in hominibus, efficaciam Verbi interiùs obicem ponentibus, & impediuntibus, quò minùs ejus vis ad interiora cordis penetrare & fidem accendere possit. Quod nec Biel, d. l. diffiteri potest, qui causam redditurus, cur ex duobus, Verbum DEI simul audientibus, unus credat, alter non credat, aliam dicit adferri non posse, quàm quòd unus *donum fidei* desuper recipiat, alter non item. Quæ si vera causa est, ut est verissima, in hominis, Verbum audientis, potestate utique erit non recipere *donum fidei*. Sed si fides immediatè & absque Verbi effectivo concursu à DEO infunditur auditori Verbi, quomodo erit in ejus potestate non recipere eam? Nam immediata hæc fidei infusio esset actio instantanea, quam homo non magis posset impedire, quàm impedire potest motus naturales, subito ortos & rationis judicium antevertentes. Si ergò in hominis potestate est *non recipere fidem*, quam DEUS operaturus est, necesse est, ut non immediatè, sed per medium, cuius operationi possit obex poni, eam efficiat.

XXXIV. Sed eò revertimur, unde digressi sumus. Quod fides sit *ex auditu*, & per *Verbum DEI* tanquam efficax organon conferatur, rursus docet Gentium Doctor in Epistola scripta ad Galatas. Et quidem in cap. II. 8. dicit, *qui in Petro fuit efficax ad Apostolatam circumcissionis, eum in se etiam fuisse efficacem erga gentes*. In quo autem efficacia illa sese exeruerit, inter alia colligitur ex cap. III. 2. ubi quæritur ex Galatis, *ex operibus legis Spiritum acceperint, ñ èζ αὐτοῦ πνεῦμος, an ex auditu fidei?* & subjungit v. 5. *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis, utrum ex operibus legis, ñ èζ αὐτοῦ πνεῦμος, an ex auditu fidei* scil. hoc facit? Quæ interrogationes, cum duobus contentent membris inter se oppositis, dubio procul prioris negationem, alterius autem affirmationem important, ut significetur, Galatas Spiritum non accepisse ex operibus legis; accepisse autem eum èζ αὐτοῦ πνεῦμος i. e. *ex auditu fidei*: item DEUM, qui Galatis



subministrat Spiritum, & operatur virtutes in ipsis, non facere hoc ex operibus legis, sed ex auditu fidei. Per Spiritum verò intelliguntur dona Spiritus S. vel Spiritus sanctus cum gratia & donis suis; & per auditum fidei auditus doctrinae fidei, vel ipsa praedicatione doctrinae fidei, auditu percepta, ut ex ipsismet Pontificiis explicant Cornelius à Lapide & Estius in h. l. Spiritus sanctus ergò accipi & à DEO subministrari dicitur ἐξ ἀκοῆς πίστεως, quia ejus dona (inter quæ primum est fides) per praedicationem doctrinae fidei conferuntur, & ab hominibus, mediante ejus auditu, accipiuntur. Si verò Spiritus S. ejusque dona Galatis per praedicationem doctrinae fidei à DEO conferebantur, & ab illis per ejus auditum accipiebantur: utique fides ipsa hunc in modum iis fuit à DEO collata, & ab illis sic accepta. Ratio consequentiae est: quia fides non solum ipsa est donum Spiritus S. sed etiam primū inter ea, cæterorumque radix & causa, per quam Spiritus S. datur, & in nobis habitat, ut colligitur ex Gal. III. 17 c. IV. 6. & c. III. 26. Eph. I. 13. sicut & Christus per eam in cordibus nostris habitare dicitur Eph. III. 17. Fides ergò est ex auditu, non tantum quæ ex humana persuasione nascitur, ut volebant Scotus & Biel, sed etiam quæ DEI donum est, & cum quâ accipitur Spiritus S. Nec quoad objecti propositionem, vel cognitionem saltem ea est ex auditu, ut Thomas ejusque interpretes contendunt, sed etiam in se, ut est donum DEI & Spiritus S. cum ea accipitur.

XXXV. Pauli sententiam confirmat etiam Servator noster Job. XVII. quando preces ad DEum Patrem fundit pro discipulis aliisque per eorum doctrinam in se credituris: *Non pro eis autem, inquit, rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.* Quæ verba indubiè important causalitatem aliquam & influxum Verbi ab Apostolis praedicati & auditu percepti in ipsam fidem. Sed hæc causalitas hoc loco non potest alia esse vel intelligi, quàm efficientis causæ. Neq; enim homo per Verbum DEI ab Apostolis praedictum credere, propterea dicitur, quòd illud sit ipse habitus vel actus assentiendi: quod absque absurditate nemo dixerit. Neque etiam materialis aut finalis causæ rationem id habere potest in ordine ad fidem, quod in aprico est. Relinquitur ergò, quod effici-

entis

entis causæ influxum seu causalitatem particula *di* hoc loco denotet; & quia solus **DEUS** est fidei causa efficiens principalis, porrò sequitur, **Verbum DEI**, ab Apostolis prædicatum, esse ejus causam efficientem instrumentalem, & dici homines per illud credere, quia est organon divinitus ad hoc constitutum, ut cum prædicatur & auditu percipitur, per auditum penetret ad animam, fidemque accendat. Ergò fides est *ex auditu* efficienter. Neque impedit, quod *credere* propriè denotat actum. Nam *Christus* d. l. loquitur de iis, qui constanter per Apostolorum doctrinam credituri, & ita fidem permanentem; & per fidem tandem vitam æternam sint habituri. Et qui sic per sermonem Apostolorum credituri sunt, in iis ipsum fidei habitum per eorum sermonem effici necesse est.

XXXVI. Quibus haut obscure adstipulantur Scriptores sacri omnes, qui *regenerationem* hominum **Verbo DEI** tanquam organo efficaci tribuunt: ut *I. Cor. IV. 15.* scribit Paulus: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui, & Jacobi I. 18.* dicitur **DEUS** *progenuisse nos SERMONE VERITATIS. I. Petr. I. 23.* *renati dicimur non ex semine mortali sed ex immortali, PER SERMONEM viventis DEI & manentis in æternum.* Ubi notamus,

I. quòd his in locis agatur de *regeneratione adultorum*, quæ donationem fidei salvificæ importat, ut à nobis ostensum est pluribus in *Disp. I. de Conversione hominis peccatoris ad Deum*, & à Pontificiis ultrò conceditur.

II. Cùm *renasci* dicimur *per Evangelium, per Verbum DEI, Sermone veritatis* &c. tribuitur **Verbo DEI** rursus causalitas quædam & influxus in *regenerationem* ejusque *terminum*, qualis convenit causæ efficienti, non quidem principali: hæc enim itidem solus **DEUS** est; sed instrumentali. *Terminus* autem *regenerationis* proximus & immediatus est *ipsa fides salvifica*, quod d. l. etiam dedimus probatum, nec negant Pontificii, nisi quòd hanc eam pro *regenerationis termino* inadæquato habent: id quod ad præsens nihil facit. Hinc ita colligimus:

Per quod tanquam per causam efficientem instrumentalem adultus renascuntur, per illud etiam tanquam per causam efficientem instrumentalem in ipsis accenditur fides. Atque

Arguuntur.



Atqui per Verbum prædicatum & auditu perceptum renascuntur
adulti tanquam per causam efficientem instrumentalem.

Argumentum.

Ergò per Verbum prædicatum & auditu perceptum etiam fides in
ipsis accenditur tanquam per causam efficientem instrumentalem.

Major propositio evidens est : quia regeneratio si non a-
dæquatè est ipsa fidei donatio, intrinsecè tamen eam includit.
Minor constat ex citatis Scripturæ testimoniis, quæ singula Ver-
bo DEI tanquam causæ instrumentali regenerationem nostri
tribuunt. Principalem verò causam significat *Jacobus*
d. l. cum DEUM dicit progenuisse nos. Paulus autem ad-
jicit insuper causam ministerialem, dum se *Corinthiorum* renato-
rum patrem vocat, dicitque SE genuisse eos in Christo Jesu per E-
vangelium ; & eleganter ostendit connexionem & ordinem cau-
sarum, ad adultorum regenerationem cum DEO concurrentium,
Verbi scilicet & Ministerii Verbi. Dicit enim, SE genuisse *Corin-*
thios per Evangelium, scilicet à se prædicatum & auditu à Corinthiis
perceptum, & significat, DEUM operari quidem regenerationem
per Evangelium tanquam per instrumentum suum, ita tamen, ut
Ministri Evangelii sint ejus συνεργοί, & faciant, quod sui quoq;
officii est, nempe ut prædicent, Evangelium idq; prædicando per
auditum in hominum corda immittat, Deo dante incrementum,
fidemq; & regenerationem per illud interiùs operante : ut ita
regeneratio non minùs, quam fides ipsa èξ ἀκοῆς ex auditu ; & ope-
ratio illa, quâ fides accenditur, & homines renascuntur, mediata
DEI actio sit, alligata ad ministerium Verbi. Hinc regeneratio & fi-
des simul DEI, & Verbi ipsius, & eorum, qui Verbum prædicant,
effectus sunt & dicuntur, modo tamen diverso : DEI quidem
ut principalis ; Verbi ut instrumentalis, & eorum, qui Verbum prædi-
cant, ut ministerialis causa.

XXXVII. Deniq; referri huc etiam possunt illa Scripturæ
loca, quæ de peculiari & propria eaque verè divinà Verbi prædi-
cati efficacità agunt, ipsique tribuunt, quòd sit potentia DEI ad sa-
lutem omni credenti, *Rom. I. 16. quòd possit salvare animas nostras,*
Jacobi I. 28. & possit nos σοφίᾳ sapientes reddere ad salutem, II
Tim. III. 15. sitque sermo vivus & penetrabilior omni gladio, Ebr. IV. 12.
& quasi ignis & malleus, conterens petram Jer. XXIII. 29. &c. Quæ
videantur apud Theologos deducta in loco de Verbo DEI &
Ministerio Verbi.

XXXVIII. Atque sic ostendimus, *fidem* ordinariè & per se esse *ex auditu*, nec nisi *per verbum DEI* conferri iis, qui per *ætatem* illud audire & meditari possunt. Propriùs nunc ad rem accedemus, ipsum etiam *modum*, quo *per auditum Verbi* ea accenditur, consideraturi.

XXXIX. Ad eius verò faciliorem cognitionem ante omnia hîc supponimus tanquam certum & notissimum, quòd DEUS per Verbum suum in homine operetur *modo*, cùm *intellectui & voluntati*, tùm *Verbo ipsi congruo*. Ea autem est hominis natura, ut cùm vel fides vel amor in ipso debet excitari, intellectui res ipsas repræsentari, illarumq; bonitatē voluntati mediante intellectus cognitione exhiberi priùs oporteat. Verbum divinum etiam, quia constat vocibus, ex instituto significantibus, eâ est indole, ut per voces tanquam per signa intellectui res divinas proponat, earumq; bonitatem voluntati consequenter ostendat. Quæ inter alias causa fuit, cur DEUS illud in literas redigi voluerit, nempe ut ab hominibus legi, & per voces significantes in rerum credendarum notitiam intellectus deduci posset: sicut etiam ministros Verbi eo constituit fine, ut quæ creditu ad salutem necessaria, ex Verbo revelato literisq; consignato aliis dextrè proponerent & explicarent. Quod quia evidens est, pluribus probare nunc superfedemus.

XL. Deinde repeti hoc loco volumus, quod alibi à nobis inculcatum fuit passim: nempe *Verbum Dei* prædicatum vel lectum habere se cùm ad fidem, tùm ad alias virtutes Theologicas producendas *duplici modo*: uno *significativè*, vel, si mavis, *objectivè*, quatenus verba, quibus constat, tanquam signa rerum objecti vicem gerunt, & cognita intellectum in ipsarum rerum notitiam deducunt. Altero *efficienter* tanquam organon, ad ipsum fidei assensum in intellectu; sanctosq; motus in voluntate excitandos idoneum & efficacem.

XLI. Etsi verò aliàs, quando agitur de re evidenti, sive ad assensum in intellectu; sive ad amorem in voluntate elicendum sufficit objectum, per verba significantia intellectui propositum, eiusque bonitas cognita & voluntati exhibita:

D

cùm



cū intellectus ex ipsa objecti evidentia ad assensum determinari possit, & volūtas aliquolibz viribus in talia objecta tendendi, eaq; desiderandi & amandi jam antè naturaliter polleat: in fidei rebus tamen, quæ nobis evidentes non sunt, & ad quas voluntati, spiritualiter mortuæ, ne tantillæ quidem superfunt vires, secus sese res habet. Neque enim vel intellectus ex objecto, cū id inevidens sit, ad assensum determinari, vel voluntas ex eius bonitate cognita in ipsius desiderium & amorem efficaciter flecti & allici potest: utpotè quæ vires ad huiusmodi desiderium vel amorem ex se eliciendum nullas habet. Id quod in *Disput. II. ut & IV. de Convers.* pluribus declaravimus.

XLII. Quia nihilominus *fides est ex auditu, Verbumq; DEI* eius causa dicitur: necessarium utique est, ut alio eoque efficaciori modo, quàm objectum significando, ad eam in homine accendendam illud concurrat, nempe *efficienter*, & quidem *per modum instrumenti*, ad producendum huiusmodi effectum à DEO elevati: qualem concursum Scriptores Canonici etiam verbis minimè obscuris ei tribuunt: cum primis *Paulus*, quando *Evangelium* vocat *δύναμιν Θεῆ potentiam Dei ad salutem, Rom. I. 16. I. Cor. I. 18.* Est enim *potentia DEI*, quia est organon, per quod DEus potens & efficax est in cordibus hominum; & quando *I. Thess. I. 5. Evangelium*, inquit, *nostrum fuit erga vos* *ὄχι ἐν λόγῳ μόνῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι ἁγίῳ, i. e. non per sermonem solum, sed etiam per virtutem & Spiritum sanctum.* Quæ dum distinguunt inter Evangelii *λόγον μόνον* seu *λόγον* ut talem, & inter eius *δύναμιν* ac *πνεῦμα ἅγιον*, clarè continent duplicem hanc *Verbi Divini* habitudinem: unam scilicet *objectivam*, qua se habet ut *λέγῳ sermo*, per verba significantia intellectui res credendas repræsentans: alteram *efficientem*, quâ idē se habet ut *δύναμις* seu *ὄργανον δυνάμιν*, *potentia* seu *instrumentum potens & efficax*, cui altior quædam vis & facultas operandi, quàm aliàs *Verbo* ut tali, convenit, utpote quod à Spiritu Sancto elevatum *δύναμιν* habet supernaturales producendi effectus, quales à nullo Verbo alio produci possunt.

sunt. Quò pertinet, quòd *seq. c. 11. 13.* laudatus Apostolus gratias agit DEO, quòd *λόγον ἀκοῆς sermonem auditus*, i.e. Verbum prædicatum & auditu perceptum *Thessalonicenses* ab Apostolis acceperint *non ut sermonem hominum*, seu nudum sermonem, quo objectum potentia cognoscendi tantum proponitur; sed ut *sermonem seu Verbum DEI*, quod ita potenter sese exeruerat in cordibus eorum, ut ab ipso DEO profectum esse, divinaque virtute & efficaciam pollere, re ipsa in semetipsis essent experti. Unde majoris lucis causam addit, quòd acceperint ab Apostolis *λόγον ἀκοῆς ut Verbum DEI, ὅς καὶ ἐνεργεῖται qui & operatur* (puta per illud ipsum Verbum) *in ipsis credentibus.*

XLIII. Non quidem nescii sumus, locum ex *I. Thes. I. 5.* à quibusdam explicari aliter, & ita, ut nec per *δυνάμιν* aliquam ipsius prædicati Evangelii *δυνάμιν*; nec per *ἅγιον τὸ πνεῦμα Spiritum S.* per Evangelium operantem; sed per illam *miracula* tanquam *opera virtutis seu potentia DEI*; per hoc *dona Spiritus S. que charismata vocantur*, v. g. *dona lingvarum, prophetia, curationum &c.* intellecta velint, hoc sensu: *Non tantum verbotenus Evangelium vobis prædicavimus, sed etiam miracula & Spiritus sancti charismata illud consecuta sunt.* Videatur inter alios *Gvilielmus Estig in h. l.* qui etsi explicationem à nobis adductam non planè rejicit, alteram tamen, quòd & Græci eam tradant, tanquam *loco huic magis germanam præfert*: sed perperam & præter Apostoli mentem. Obstant enim *I. ipsa verba.* Nam quando dicitur: *Evangelium nostrum non fuit erga vos ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ*, instituitur comparatio inter duo, in ipso Evangelio comprehensa, quæ ad *Thessalonicensium conversionem* sesimul exeruerint, quorum unum sit ipse *λόγος Evangelii prædicati*; alterum altior quædam eius *δυνάμις* & ipsum *πνεῦμα ἅγιον*, seu ipse *Spiritus S.* Quod aliter intelligi commodè non potest, quàm de *δυνάμει* per ipsum Evangelium se exerente, & de *Spiritu S.* per idem tanquam per organon suum operante. Nam *miracula vel vis operandi miracula*, aut *dona lingvarum, curationum, &c.* non sunt tale quid, quod in ipso Evangelio contineatur, aut cum *λόγῳ* illius comparari possit tanquam aliquid nobilius



bilis, & ad convertendos hominum animos efficacius. II. Totus contextus agit de effectibus, Evangelii propriis; & quidem præc. v. 3. Paulus commendat Thessalonicensium *fidem, spem & charitatem*, iisque v. 4. in memoriam revocat suam ἐκλογὴν, quâ è reliqua hominum multitudine à DEO evocati & selecti fuerint, quod v. 5. factum docet voce Evangelii inter ipsos prædicati, quod non fuerit positum ἐν λόγῳ μόνον i. e. in inanibus verbis, sed cum verbis divinam quandam δυνάμιν Spiritus Sancti complexum sit, ita ut eius vi conversi, & Apostolorum Christi que imitatores facti sint, & Verbum receperint cum afflictione multâ, cum gaudio Spiritus sancti, v. 6. Quæ nec *miraculis*, nec *donis linguarum, prophetiæ, curationum* &c. ut talibus adscribi posse, quis non videt? Sunt enim omnia ipsius Evangelii prædicati effecta propria, quæ per se non aliundè, quàm ab ipso & à δυνάμει seu vi & efficacia illius dependent. III. In Actis Apostolicis nihil quicquam legimus de *miraculis* vel virtute ea operandi, quæ cum Paulina Evangelii prædicatione apud Thessalonicenses ad eorum conversionem se exeruerit, ad quam Paulus hîc oculum intendere possit; sed *Lucas*, qui c. XVII. 3. 4. Thessalonicensium conversionem describit, solius Evangelii prædicati meminit, ei que peractæ conversionis vim omnem tribuit. Ex quo hunc in modum concludimus: Ea δυνάμεις, per quam Thessalonicenses conversi sunt ad DEUM, intelligitur I. *Thess. I. 5.* à Paulo per δυνάμιν Evangelii, distinctam à λόγῳ ipsius. Sed hæc fuit δυνάμεις quædam Evangelio propria, & à miraculis ac virtute operandi miracula diversa, ut ex *Act. XVII. 3. 4.* patet. Ergò δυνάμεις quædam Evangelio propria & à miraculis ac virtute operandi miracula diversa d. l. à Paulo intelligitur per δυνάμιν Evangelii, à λόγῳ illi in se spectato distinctam. Major patet ex contextu, qui ut ostensum, totus agit de Thessalonicensium conversione, & iis, quæ in conversione sua adepti sunt, fide sc. spe, charitate, patientia &c. Minor clara est ex *Act. XVII. 3. 4.* ubi *Lucas* historiam conversionis eorum annotavit, nec alterius, quo conversi fuerint, medii quàm Verbi prædicati mentionem facit. Quod si alterum conversionis medium miracula;

racula; & eorum potior ratio fuisset, quàm Evangelii, ita ut
 illis ipsa δυνάμεις, huic λόγῳ μόνον convenerit, quis crederet,
 Lucam in historiæ descriptione id silentio prateriturum?
 IV. Alibi Paulus eadem utitur oppositione inter λόγον & δύνα-
 μιν, & τῇ δυνάμει talia tribuit prædicata, quæ miraculis vel
 virtuti operandi miracula convenire non possunt: ut I. Cor.
 II. 4. *Sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasoriis humana
 sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus ac potentia, ut fides vestra
 non sit in sapientia hominum, sed in potentia DEI.* Ubi per δυνάμιν
 & πνεῦμα ἅγιον citra dubium intelligitur divina quædam vis
 seu potentia ipsius fidei salvificæ productiva, ut evincunt ver-
 ba: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia DEI.*
 Hæc autem vis non convenit miraculis, aut dono lingvarum,
 curationum &c. Et quid opus est pluribus? Paulus ipse in præ-
 ced. c. I. 18. exprimit, quid per DEI potentiam, persuasoriis hu-
 manæ sapientiæ verbis oppositam intellectum velit, nempe
*sermonem crucis, seu Evangelium de Christo crucifixo: Sermo
 crucis, inquit, iis qui pereunt, stultitia est: at nobis, qui salutem con-
 sequimur, POTENTIA DEI est.* Similiter c. IV. 19. *Veniam, ait
 laudatus Apostolus, brevi ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam
 & τὸν λόγον τῶν περυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δυνάμιν, non sermonē eo-
 rum, qui inflati sunt, sed virtutem.* Quo in loco rursus per
 δυνάμιν non possunt intelligi miracula, vel virtus operandi mira-
 cula: quia v. 20. subjungitur: *Non enim in sermone est regnum
 DEI, sed in virtute.* Sed regnum DEI non consistit in miraculis,
 aut in virtute operandi miracula, sed in fide, justitia & pace.
 Significat ergò Apostolus, se cogniturum non quo verborum
 ornatu & splendore, sed quâ δυνάμει, quòve fructu inflati illi
 hætenus docuerint, & quid in auditoribus profecerit eorum
 prædicatio, atque sic ex effectu se judicaturum de illorum do-
 ctrina. Ratio: quia regnum DEI, quod est regnum gratiæ, non
 consistit in inani verborum splendore, sed in δυνάμει & vi ef-
 fectrice fidei, caritatis, justitiæ & pacis. *Regnum DEI enim est ju-
 stitia (fidei, quæ est cum charitate conjuncta) & pax (consci-
 entia cum DEO) & gaudium in Spiritu Sancto: quæ non ex mi-
 raculis*



raculis aut virtute miracula efficiendi, sed ex virtute Evangelii propria proveniunt.

XLIV. Manet ergo, quod diximus, *Verbum DEI*, præterquam quod λόγος est, & verbis ex instituto significantibus æquè constat, ac alia quævis doctrina, hoc præ aliis habere peculiare, quod etiam *DEI potentia* est, seque in hominibus non solum ut λόγος, sed etiam ut *δύναμις Θεῶν* exerit, quatenus scilicet ut instrumentum à DEO tanquam causa principali adhibetur & elevatur ad producendos effectus supernaturales, quales ab alio Verbo seu doctrina produci non possunt.

XLV. Sicut autem aliàs instrumenta se non exerunt aut exerere possunt, nisi applicata subjecto, & in usu constituta, causâ principali etiam suam præbente influxum: ita nec *DEI Verbum* ad producendum effectum supernaturalem se exerit aut exerere potest, nisi quando subjecto est applicatum, & in usu constitutum, DEO ut causâ principali suam præbente, influxum. Applicatur autem subjecto & constituitur in usu, quando in hominis cor immittitur. Quod etsi per lectionem, mediante visu ab homine, in quo illud operari debet, quandoque fieri potest: tamen cum non omnes calleant literas, & legere possint, DEUS ut omnibus, doctis pariter & indoctis prospiceret, ministros suos constituit in Ecclesia, qui publicè id docerent, & vivâ voce per auditum in omnium, qui aures commodare & auscultare non dedignarentur, corda immitterent. Quo intuitu *Paulus* loco superius ex *Rom. XI. 17.* citato dicit: *Fidem esse ex auditu, auditum verò per Verbum*, scilicet prædicatum.

XLVI. Aliàs quidem applicantur instrumenta materiæ & constituuntur in usu communiter ab ipsa causa principali, ita ut influxus causæ principalis, & actio, quâ instrumentum in usu constituitur, secundum rem sint unus actus, sicut malleus à fabro applicatur ferro, & constituitur in actu, quando ab ipso movetur, & motio illa mallei nihil est aliud, quàm influxus fabri tanquam principalis causæ in effectum productum: in præsentia tamen res secus habet. Quia enim DEO placuit Verbum suum subjecto applicare & in usu constituere modo

modo sensibili, hominumq; naturæ congruo, ideò visum est
eius sapientiæ, ad hoc hominum uti operâ, qui ipsius loco
Verbum prædicarent: qui propterea dicuntur *ministri*, per
quos ad fidem perducimur *I. Cor. III. 5. ministri Christi, & dispen-*
satores mysteriorum DEI c. IV. 5. σὺν ἐργαῖς θεοῦ coadjutores DEI,
c. III. 9. Quorum tamen ministerio adest *DEus* tanquam *princi-*
palis causa, & per Verbum ab ipsis prædicatum ac in auditorum
corda immissum non minus efficax est suumq; præbet influxû,
quàm si ipse suâ id voce doceret: ut ita interior operatio & pro-
ductio fidei aliorumq; effectuum supernaturaliû non sit à Verbi
præconib; efficienter, sed à solo *Verbo & DEo*, per illud operante.
Quod pulchrè declarat *Paulus I. Cor. III.* institutâ comparatione
inter *Verbi Divini præcones & agricolas*, inter *Verbum* prædica-
tum, & *semen* sparsum in agrum, & denique inter ipsos *homi-*
nes, in quibus *DEus* per ministerium Verbi operatur, & inter
agros, quos colit & femine conspergit agricola. *Quis*, inquit,
est Paulus? Quis Apollos? nisi ministri, per quos credidistis, & ut cui-
que Dominus dedit? Ego plantavi, Apollos rigavit, sed DEus dedit
incrementum. Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed
qui incrementum dat DEus. Quibus clarè significat, se & alios
Verbi Doctores forinsecûs tantùm operari, & Verbum *DEI*
prædicando facere id, quod hortorum cultores faciunt *plan-*
tando & rigando: DEum verò interiùs in hominum cordibus per
illud auditu admissum efficere, ut crescat & incrementum
capiat.

XLVII. Dicit autem *Paulus*, eleganti usus allegoriâ:
Ego plantavi; Apollos rigavit. Ipse enim prædicaverat Verbum
DEI primus apud Corinthios, & prædicatione suâ fidei semina
jecerat. *Apollos* verò superveniens, fervens spiritu & eloquio
præstans, revincens obstinatos *judæos*, & ex Scriptura Prophe-
tica potenter ostendens, *Jesum esse Christum*, ipsos in acceptâ
per *Paulum* fide *Jesu Christi* confirmavit, *Actor. XIIII. 24. seqq.*
atque sic fecit, quod hortorum vel agrorum cultores post per-
actam plantationem facere solent *rigando*. Ut autem *Verbum*
tanquam *semen spirituale* in hominis corde radices ageret, cre-
sceret & adolesceret, ex se non magis præstare potuerunt *Paulus*
bus

lus vel Apollos, quàm agricola potest efficere, ut semen in terram coniectum crescat & incrementa capiat: sed sicut huius operatio externa est, quæ interiorē vegetationis effectum non attingit; ita nec illi sua actione, in externo ministerio posita, interiorē gratiæ effectum attingunt.

XLVIII. Cæterum quod dicitur: *DEus dedit incrementum*; item: *neg, qui plantat est aliquid, neg, qui rigat, sed qui incrementum dat DEus*; id *Estius* in h. l. accipi vult cum exclusione hominis cultoris in naturalibus, non autem ipsius naturæ: in spiritualibus autem cum exclusione cuiuscung, causæ creatæ. Dicuntur autem, inquit, *plantans & rigans tam in his, quàm in illis nihil esse, hoc sensu: quia licet foris exhibeant suum ministerium, non tamen actione sua interiorē attingunt effectum vel vegetationis in naturalibus, vel sanctificationis in divinis. Sed illam quidem efficit natura DEO autore; istam verò sibi soli DEus reservat. Et paulò pòst: Si quæras, an solus DEus det incrementum: respondeo; solus quidem in naturalibus cum exclusione hominis cultoris, non tamen ipsius naturæ. Solus autem in spiritualibus & gratuitis, de quibus Apostolus intendit loqui; cum exclusione cuiuscung, causæ creatæ. Hæc ille.*

XLIX. Licet verò non negemus, aliter in naturalibus, aliter in spiritualibus *DEum incrementum dare*: nam *in naturalibus* DEus id facit ut causa universalis & prima cum concursu naturæ, causas secundas diversas complectentis, inter quas est sol tanquam universalis, & ipsa seminis natura tanquam particularis causa; *in spiritualibus* autem DEus solus ut principalis causa operatur: falsum tamen est, quòd in his DEUS *exclusâ omni causâ creatâ* incrementum det. Superiùs enim probatum dedimus, quòd fidem DEus interiùs in homine per organon Verbi sui accendat. Ex quo sequitur necessariò, quòd ipsum *Dei Verbum* interiorē effectû spirituale, (talis enim est fides à DEO in homine producta) actione suâ attingat. Neque etiam in contextu *Paulino* vel leve extat indicium, quo diversum innuatur, aut *Verbum DEI* ab interna fidei productione magis; quàm *seminis naturam* ab interiori vegetationis effectû in naturalibus excludi significetur. Imò contrarium ex contextu rectiùs colligitur. Verbum DEI enim comparatur ibi cum *semine*

nes



me, cui Deus suam ad crescendum vim & vigorem indidit, & alibi expressè vocatur *semen*, ex quo renascimur. Cur ergò interiorè ad crescendum efficaciam & virtutem, quæ aliàs semini naturâ suâ convenit, ei tanquam semini spiritali denegemus? aut quomodò verum erit, quòd ex Verbo DEI tanquam semine immortalì renascamur, si id nullâ planè virtute pollet, quâ in cordibus nostris instar seminis, in terræ gremio recepti, se se exerere, radices agere, & sua capere incrementa possit? Unde rectiùs *Cornelius à Lapide in b.l. Deus*, inquit, *plantis dat incrementum, non quasi speciale & quotidianum augmentum per se solum eis suggerat, ut intelligunt rustici: sed quia ad crescendum vim & vigorem ipsi naturæ seminis vel radicis indidit & conservat, id est, quasi continuò indit & instillat (conservatio enim divina non est aliud, quàm primæ creationis vel actionis divine continuatio) eiq; cooperatur, & quia pluviam, æstum, ventos aliq; ad fruges opportuna suâ dispositione regit ac contemperat, quorum contemperatio meliori vel minori melior vel minor nascitur fructus: PARI MODO feres habet IN SEMINE VERBI DEI, ejusque messe, fructu, & profectu in mentibus hominum. DEUS igitur dat incrementum ut autor gratiæ, Verbo tanquam semine spiritali concurrente, ita ut Dei & Verbi ipsius una indivisa sit operatio, unus effectus, perinde atq; in naturalibus Deus tanquam autor naturæ incrementum dat, seminis internavi concurrente, & utriusq; una indivisa est operatio, unusque effectus.*

L. Hisce præcognitis facilè est intelligere *modum*, quo fidem *per organon Verbi DEUS* efficit. Ut quæ fusè hactenus differuimus, in pauca contrahantur, ante omnia debet objectum intellectui per Verbum prædicatum convenienter proponi, ejusque bonitas voluntati congruè exhiberi. Idque ut ritè fieri possit, *Verbum DEI* ita plenè revelatum, & ex Divina inspiratione in literas redactum est, ut *utile sit & ad doctrinam, & ad redargutionem, & ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in justitia II. Tim. III. 16. Verbiq; ministris, quos propterea oportet esse διδασκαλούς, καὶ ἰκανούς διδάσκειν ἑτέροis, & nosse τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομεῖν II. Tim. II. 2. 15. 24. seriò in-*

E unctu S



sanctum, ut illud prædicent, ut instent tempestivè, intempestivè,
arguant, increpent, exhortentur cum omni lenitate & doctrina, c.
IV.2. nempe per doctrinam & ὁρθοτομίαν λόγου τῆς ἀληθείας
intellectui aptè proponuntur, quæ cognitu & creditu ne-
cessaria sunt: exhortationes verò, redargutiones, increpationes,
præmiorum item futurorum promissiones, & pœnarum com-
minationes eo adhibentur sine, ut objecti bonitas voluntati
congruè & sub rationibus ad illud amplectendum; & cætera,
quæ ei adversantur, fugienda inducentibus exhibeatur.
Deinde requiritur, ut potentia naturales intellectus & voluntas,
cùm ad eliciendos actus supernaturales ex se non sint propor-
tionata, ut ita loquar, aliunde eleventur. Elevantur autem à
Spiritu S. per Verbum tanquam per organon ad hoc divinitus
constitutum; estque utriusque, quoad præsens, una indivi-
sa operatio, à Spiritu S. tanquam causa principali; à Verbo au-
tem tanquam causa instrumentali simul dependens.

LI. Proximus igitur & immediatus Verbi Divini effe-
ctus consistit in actibus supernaturalibus, quorum alii in in-
tellectu; alii in voluntate eliciuntur: in illo quidem primum
cogitatio sancta; in hac primum desiderium: quos subinde alii
ejusdè Verbi virtute excitati actus excipiunt, usque dum plenus
sequatur consensus, ut antehac de Convers. Disp. IV. osten-
dimus.

LII. Porro actus illi per se & naturâ suâ ordinantur ad produ-
cendos ejusdè ordinis habitus, ita ut ex primo aliqua nascatur
dispositio, quæ aliis subsequētibus magis magisque perficiatur, ut
animæ potentiis intellectui & voluntati fixius inhæreat, &
tandem in habitum abeat: perinde ut in naturalibus ex acti-
bus reiteratis nascuntur ejusdem ordinis habitus. Atque
sic habitus fidei alter isque mediatus Verbi Divini, vel
Spiritus S. per Verbum operantis effectus rectè constitui-
tur.

LIII. Rem ita se habere, svadet nobisque persvadet
eum primis Scripturæ sacræ autoritas, quæ hunc fidei in homi-
ne producendæ modum loco non uno subinnuit. Primum
enim

enim *Rom. X. 17.* dicitur expressè, *fides esse ex auditu verbi.* Non potest autem intelligi, quomodo ea *ex auditu sit*, nisi admittatur, Verbum auditu perceptum esse causam actuum; & mediantibus his ipsius habitus credendi: quod ipsum & *Verbo* & *hominum nature* maximè consentaneum est. *Verbo* quidem, cuius ea est indoles, ut cum prædicatur & auditu percipitur, cum concursu Spiritus sancti primùm excitet actus motusque supernaturales, & si in aliquem habitum supernaturalem suum præbere debeat influxum, aliter id fieri non potest, quàm mediantibus actibus. *Hominis nature* verò, quæ in omni objectorum genere perfici solet per *actus*, ex quibus iteratis postea nascuntur *habitus*.

LIV. Hinc ita colligimus: Actus cogitationis sanctæ, pii desiderii, assensus salutaris &c qui sunt ex auditu Verbi, aut relinquunt aliquid in animæ potentiis intellectu & voluntate, quod per modum dispositionis maneat, & potentias inclinet ad similes actus, aut nihil tale relinquunt. Si hoc sequitur, per actus illos hominem nihil reddi aptiorem ad similes eliciendos actus, quàm antè fuit, quod absurdum est, & experientiæ repugnat. Sin illud? rursus quæro, utrum qualitas illa ex actibus prioribus relicta, per reiteratos ejusdem ordinis actus magis magisque perficiatur, an secus? Posterius itidem absurdum est. Sequeretur enim, actus subsequentes nullius esse usus, eorumque exercitium suscipi absque omni fructu. Cui bono enim susciperetur, aut quem haberet fructum, si nihil quicquam perfectionis inde accederet qualitati spirituali, ex prioribus actibus in animæ potentia relicta? Quod quàm adversetur *experientiæ*, quæ testatur, ex talium actuum exercitio nos ad similes actus indies promtiores evadere; & *Scripturæ*, quæ nullibi non ad pietatis exercitium hortatur, idque ad fidei aliarumque virtutum Christianarum incrementum prodesse significat, nemo non videt. Asserendum igitur restat prius, & consequenter statuendum est, quòd actus supernaturales, sæpius iterati tandem generent habitum supernaturalem. Quid enim est qualitas illa



ex uno vel altero actu supernaturali in subjecto relicta, & per iteratos ejusdem ordinis actus adaucta, atq; in subjecto ita radicata, ut intimè illud perficiat, & ad actus similes exercendos promptum atq; expeditum reddat, quàm habitus supernaturalis?

obj. LV. Dicat quis: Ex eo, quòd actus supernaturales post se nullam relinquunt qualitatem, quæ potentiam operandi ad similes actus disponat, non sequi, quòd homo ex iis nihil fiat aptior ad similes actus. Licet enim non *effectivè* seu *physicè*, ut loquuntur; *moraliter* tamen & *meritoriè* ex iis aptior redditur: quia ex actuum supernaturalium merito habitus à DEO infunduntur, per quos potentia apta fiunt ad ejusdem ordinis actus eliciendos.

R LVI. Resp. frivolum hoc est effugium. Nam I. ordinarium hoc est, ut actus, qui tendunt ad subjecti perfectionem, aliquid efficienter à se productum relinquunt, quo subjectum ad similes actus disponatur. Quod si secus se res habeat cum supernaturalibus, inde id proveniat oportet, quòd vel DEI voluntas non sit, ut aliquam à se productam qualitatem relinquunt, vel eorum naturæ repugnet, aliquam producere, qualitatem, quæ post ipsos maneat: quorum neutrum dici potest. Non *illud*: quia DEUS, quòd hæc ejus voluntas sit, nullibi in Scripturis revelavit, quòd nec adversarii prætendunt. Neque hoc: quia talis repugnantia nec probata hætenus fuit, nec probari poterit unquam. Rationes, quæ adferri solent, infrà suo loco discutiemus.

II. Actibus habitus supernaturales antecedentibus, iisque valdè imperfectis, quos vocant dispositiones morales, tribuunt adversarii, invitâ Scripturâ, meritum, propter quod habitus ipsi infundantur.

III. Post longam tergiversationem ipsi tandem vi veritatis coacti concedunt, per actuum supernaturalium exercitium reddi nos (etiam *physicè*, ut loquuntur, vel *effectivè*) promptiores ad similes actus, ita ut inde nascatur aliquis habitus, qui potentia operandi det facilitatem & promptitudinem



nem ad operandum, ut ex inferius n. LXIII. dicendis constabit.

LVII. Deinde in parabola *de semine*, quæ legitur *Matth. XIII. Marc. IV. & Luc. VIII.* docet Servator de uno eodemque Verbo prædicato, quod pro hominum diversitate in quorundam cordibus nullum inveniatur locum, in aliis autem locum inveniatur & operetur consensum fidei cum aliquo gaudio conjunctum, in quibus tamen ob spinas voluptatum & curarum hujus seculi radices agere & incrementa capere non possit, sed vel persecutionum æstu instar seminis in terra petrosa solis æstu exusti exuratur, vel sub voluptatum & curarum spinis instar seminis in terra spinosa suffocati extingvatur. In aliis denique hujusmodi obicem Verbo, postquam receptum est, non ponentibus dicit id radices agere fructusque proferre multiplices. Quo ipso quid aliud significatur, quàm fidem esse fructum Verbi prædicati, eamque ita ex illo nasci, ut prima ejus initia sint admodum langvda, quæ in quibusdam per curas hujus seculi aut concupiscentias carnis facile extingvantur, in aliis verò crescant, & sua capiant incrementa. ? Nam quod de *fidei*, quæ est *ex auditu* productione, seu de *Verbo*, fidem per auditum operante Christo sermo sit in adducta parabola, evidens est ex *Luca*, qui *d. l. v. 12.* expressè dicit, propterea diabolum tollere Verbum auditu perceptum, de corde eorum, qui comparantur terræ, *propè viam sitæ*, ne operatione ejus ad fidem perducti seu *credentes serventur*: & *v. 13.* causam, cur in aliis, qui *terre petrosæ similes* dicuntur, Verbum Dei non possit crescere & firmam fidem producere, refert in cordis ipsorum duritiem, quâ fiat, ut si vel maximè Verbi efficaciam fides aliqua sit accensa, ea tamen *περὸς και- γος* & instabilis sit, & tempore persecutionis deficiat.

LVIII. Primum autem si fides est fructus Verbi, quoniam, quæso, modo ea nascitur ex illo, si non hoc, quem hactenus docuimus, nempe ut illius virtute & efficaciam actus fidei in intellectu excitentur. ?

Deinde Verbum DEI debet ita suscipi in hominis corde, " 2

E 3

ut

ut in eo maneat: siquidem parabola præsens illos solos, qui illud retinent, terræ bonæ comparat. Quâ etiam de causa id dici videtur λόγος ἐμφύττω Verbum implantatum, Jac. I. 21. Semen DEI, manens in nobis, I. Iob. III. 9. Sed quodnam medium, quod retinaculum est, quo dicatur retineri & manere in nobis? An actus credendi, semel excitati? at hi transeunt. An verò Verbi, auditu percepti memoria? at hæc datur etiam in hypocritis & impiis, in quibus tamē Verbū sub spinis curarum & voluptatum dicitur suffocatum. Nihil hîc nominari potest, quo dicatur illud tanquā λόγος ἐμφύττω manere in nobis, ut fructum ferat, nisi admittatur, ex actibus credendi semel excitatis relinquere aliquam qualitatem supernaturalem, quæ animæ potentias ad similes actus disponat, easque in Verbum DEI meditandum assensuque amplectendum inclinet.

3

Tertiò Verbum DEI susceptum in hominis corde debet radices agere & fructus ferre. Sed quænam sunt illæ radices? Sanè quia Verbi radices sunt, necesse est, ut ab ipso dimanent; & quia iisdem in hominis corde illud conservatur, in aliqua re permanente & fixa consistant oportet. Ea verò quid aliud est vel esse potest, quàm qualitas huiusmodi, quæ à Verbo efficienter dependeat, & rursus in illud propendeat, animæque potentias disponat ad actus credendi, quoties opus est, eliciendos? qui sicut à Verbo mediante hac qualitate originem trahunt, ita in idem tanquam in objectum suum feruntur, suntque quidem quasi plexus, quo id in nobis fovetur & conservatur.

Denique quo, quæso, modo Verbum radices in nobis agit, si non eo, quòd qualitatis illius languida quædam initia primùm ex actibus supernaturalibus, virtute Verbi in animæ potentiis elicitis relinquuntur, quæ deinde per iteratos ejusdem ordinis actus adaucta, & in subjecto quasi radicata in habitum stabilem tandem evadant? Quæ radix ubi in corde hominis defixa est, Verbum tanquam semen spirituale multiplices profert fructus. Nam medio hoc fidei habitu illud non solùm actuum credendi subsequentium, sed etiam variorum operum principium est & causa. Quæ omnia

omnia ita sunt manifesta, ut à nemine possint negari, nisi forsàn à quopiam, qui verbis Christi vim inferre, nec eo, quem illa important, sed quem ipse sibi fingit, sensu accipere temerè præsumat.

LIX Tertiò: *Corinthi* licet *Pauli* prædicatione pridem conversi, ingenii tamen vitæque prioris quasdam reliquias retinuerant, quos propterea *Paulus* *carnales* vocat *I Cor. III. 1.* quòd ita leviter spiritali gratiâ essent imbuti, ut adhuc in multis carnaliter saperent, nò percipientes, *quæ sunt Spiritus Dei c. II. 14.* eosque comparat *infantibus*, lactis potu nutriendis, quibus adhuc prima quasi fidei Christianæ elementa proponenda sint, quò faciliùs capiant, & tanquam infantes in Christo instar lactis materni ea imbibant. Quibus proinde incumbit, ut quotidie proficiant. Quod quo modo quibusvis mediis fieri possit & debeat, declarat idem *Eph. IV, 13.* Ubi cum ministerium Ecclesiasticum à Christo capite institutum dixisset *ad instaurationem Sanctorum, in opus administrationis, in edificationem corporis Christi, donec omnes perveniamus in unitatem fidei & agnitionis filii DEI in virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi:* subjungit *seqq. 14. 15.* versiculis: *Ue non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrine per versutiam hominum, per astutiam, quâ nos adoriuntur, ut imponant nobis: sed veritatem sectantes in charitate adolescamus in illum per omnia, qui est caput Christus.* Quibus duo ostendit necessaria iis, qui in fide & charitate crescere & adolescere debent. Unum, ut à falsa doctrina sibi caveant, nec patiantur se quovis vento doctrinæ circumferri. Alterum, ut *ἀληθεύοντες* veritatem amplexi, vel ut alii reddunt, *veritatem sectantes* incrementa capiant in charitate. Utrumque proficiendæ medium positum est in actibus, qui à Verbo DEI dependent siquidem nec à doctrinâ falsâ quis sibi cavere, nec *ἀληθεύειν* seu veritatem amplecti, aut sectari potest, nisi Scripturâ ducere & per actus, quibus Verbum DEI piè nobiscum recolimus & meditamur. Ergò fides sicut ex actibus supernaturalibus sua incrementa; ita ex iisdem, per auditum Verbi à Spiritu S. excitatis, sua capit initia. Non enim



nim apparet, cui aliunde habitus supernaturales sua initia, & aliunde sua incrementa habere statuamus.

LX. Quartò carnalibus & infantibus, qui lactis potu alendi, opponit Paulus spirituales I. Cor. II. 15, c. III. 1. & perfectos c. II. 6. Ebr. V. 13. qui eos per gratiam Spiritus sancti progressus fecerint in fide, ut spiritualia spiritualiter dijudicare possint, quibus propterea cibus solidus, i. e. sublimior doctrina, spiritualibus & perfectis accommoda, cum fructu proponi queat. Quomodo autem hæc gratiæ incrementa consequuti sint, non obscure significatur Ebr. V. 14. his verbis; τελείων δε perfectorum verò est solidus cibus τῶν ἀπὸ τῆν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχόντων πρὸς διακρίσιν καλῆ τε καὶ κακῆ. Quæ perfectis tribuunt τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διακρίσιν καλῆ δε καὶ κακῆ, sensus exercitatos ad discretionem boni pariter & mali, idque διὰ τὴν ἕξιν propter habitum. Ubi benè monet Estius in h. l. τὰ αἰσθητήρια esse hîc transferenda ad mentem, cujus est discernere inter bonum & malum. Per ἕξιν verò quid denotetur, ex voce γεγυμνασμένα intelligitur, nêpe habitus ex assuetudine & exercitatione acquisitus, à quò mentis αἰσθητήρια denominentur γεγυμνασμένα. Ex quibus ita infero: Omnis ἕξις, propter quam facultas intelligendi dicitur exercitata ad discernendum inter bonum & malum, seu, ut I. Cor. II. 15. Paulus loquitur, ad spiritualia spiritualiter dijudicanda, est habitus ex assuetudine & actuum exercitio genitus. Fides perfectorum in Christo est talis ἕξις. Ergò fides perfectorum in Christo est habitus ex assuetudine & actuum exercitio genitus. Major evidens est, Nam facultas intelligendi & iudicandi non potest dici exercitata, nisi ab exercitatione, vel ab aliquo, quod assuetudine & exercitio actuum est comparatum. Minor est Pauli. Stat ergò conclusio immota.

LXI. Quintò I. Thess. IV. 1. Paulus Thessalonicenses, operam dare jubet, ut in charitate vitæq; sanctitate proficiant. Ita enim scribit: Quod superest, fratres, rogamus & adhorta.

hortamur per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos versari & placere DEO, ἵνα ὡς ἔοικεν ὑμῶν, ἵνα ὑμεῖς ἄλλοι, ut abundetis magis i. e. ut magis magisque proficiatis. Sed quomodo? abstinendo à scortatione, fratre non defraudando &c. inquit Apostolus. *Hæc enim est voluntas DEI, sanctificatio vestra, ut abstinatis à scortatione, v. 3. ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum v. 6. &c. Et seq. v. 10. eadem repetitur adhortatio, sed directa ad charitatis incrementa speciatim, hunc in modum: Caterum de fraterna charitate non necesse habetis, ut scribam vobis: ipsi namque divinitus docti estis, ut diligatis vos invicem. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres, qui sunt in tota Macedonia: obsecramus autem vos, fratres ἵνα ὑμεῖς ἄλλοι, ut abundetis magis, i. e. ut in hac fraterna charitate, quam à DEO didicistis, eodem doctore studeatis proficere, ut Estius explicat. Quomodo autem studeant in charitate proficere? procul dubio per actus caritatis, quos alter erga alterum exercere debebant, sicut eis τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους θεοδίδαχοι erant v. 9. Hortatur ergo Paulus Thessalonicenses suos, ut quemadmodum charitatis opera alter alteri exhibebant, ita se invicem diligere pergant, & sic in charitate proficiant. Per actus igitur augentur charitas & ceteri habitus supernaturales. Ergo per eosdem etiam generantur. Hoc enim universale est: ex quo habitus aliquis perficitur & sua capit incrementa, ex eo idem etiam generatur; nec potest contrarium aliquo idoneo exemplo ostendi.*

LXII. Denique ex actibus naturalibus nascuntur habitus naturales. Ergo & ex supernaturalibus supernaturales nascuntur habitus. Antecedens nemine reclamante conceditur. Consequentia autem probatur: quia nulla diversitatis ratio reddi potest. Utrobique enim ex assuetudine & exercitio actuum eadem sentitur facilitas & promptitudo ad actus similes eliciendos; quod adeo est evidens, ut ne adversarii quidem id diffiteri possint. *Negari non potest, exercitatione quotidiana actuum infusorum reddi hominem quodammodo magis facilem & promptum, ait Vazquez in l. II. Disp. LXXIX. c. X n 47.*

F

Quam-



Quamvis verò de exercitio actuum, qui habitum infusum consequuntur, ab ipso hæc dicta sint, nihil tamen obstat, quò minus ad actus habitum antecedentes eadem rectè transferantur. Si enim subsequentes actus vim habent habitualement efficiendi facilitatem & promptitudinem, vel habitum infusum intendendi, ut potentiã magis reddat promptam & facilem: quã obrem antecedentibus, qui ejusdem cum illis speciei sunt, denegari poterit vis potentiã saltem disponendi, & continuato post exercitio ipsum efficiendi habitum?

LXIII. Vidit hoc Vazquez, & ut declinaret difficultatem, quã urgeri se animadvertibat, ibidem statim subjunxit, facilitatem & promptitudinem illam exercitio actuum infusorum acquisitam, posse stare & explicari sine habitu ex actibus infusis genito. Sed quomodo? Quia, inquit, ad opera infusorum virtutum tam voluntatis, quã intellectus, utitur homo per intellectum suum speciebus ad apprehendenda ipsa objecta, cumque utatur speciebus naturalibus, continua exercitiatione reddi potest quotidie promptior ad similes actus apprehensionis, & ex hac parte sentire facilitatem & promptitudinem ad actus infusos, quibus talis apprehensio deservit. Sed hæc scripsit Vir doctissimus sui haud memor. Rei enim difficultate implicatus, & quò se verteret, nescius ad lubricum hoc eflugiũ se recepit, oblitus, quòd à semetipso id in præcedente *Disp. LXXIIX. c. II.* multis esset confutatum, quod benè etiam observavit ipsique objecit Petrus Hurtadus de Mendoza *Disp. de Anim. XVI. Sect. VIII. §. LXVI.* Meminisset, inquit, ipse vellem, se ipsum contra P. Suarez intulisse supra, nos inutiliter laborare in quærendis habitibus, si difficultas tollitur per specierum representationem. Deinde per usum naturalium actuum non solum perficiuntur species, sed etiam acquiritur distincta facilitas in voluntate. Ergò idem erit exercitio actuum supernaturalium. Hæc ille contra Vazquezium rectissimè. Imò ipse Vazquez, rationi à se adductæ diffusus, in *Disp. LXXXIII. c. I. n. I.* tandem concedit, ex assuetudine atque exercitio actuum supernaturalium posse generari habitum, nec negat, re ipsa id fieri: *Ex tali*, inquit *assue-*

assuetudine aut FIT IN NOBIS HABITUS alius distin-
ctus, aut aliquid aliud, quod praestet nobis facilitatem & prom-
ptitudinem ad hos actus infusos.

LXIV. Consideratu autem dignum est, quòd non ne-
gat, ex actibus habitus infusi nasci posse alium habitum su-
pernaturalem: negat tamen, eum ejusdem fore ordinis & spe-
ciei cum habitu infuso. Quòd non solum omni caret fun-
damento, sed ipsi etiam cum actuum tum habituù naturæ re-
pugnat. Nam I. omnium actuum, qui causa sunt alicujus ha-
bitus, ea est ratio, ut per se ordinentur ad producendos habi-
tus proprios sibi que connaturales, v. g. actus sciendi ad habi-
tum scientiæ, actus justitiæ vel temperantiæ ad habi-
tum justitiæ vel temperantiæ producendum. Quis sit er-
gò, ut supernaturales soli à communi actuum natura adeò
deflectant, ut v. g. actus credendi infusi habitum à fide infusa;
& actus caritatis infusi habitum à caritate infusa specie diver-
sum efficiant?

II. Ea etiam habituum ratio est, ut potentiam ope-
randi per se & proximè ad actus proprios disponant, v. g. ha-
bitus fidei ad actus credendi, habitus charitatis ad actus chari-
tatis potentiam disponit, quòd fatetur *Vazquez. Disp. LXXIX.*
c. X. n. 47. Quis ergò sit, ut habitus supernaturales, ex actibus
infusis geniti rursus à via deflectant, & cum specie differant
ab habitibus infusis, tamen ad actus habituum infusorum
potentiam operandi disponant, & v. g. habitus licet à fidei in-
fusæ habitu specie diversus, tamen ad fidei infusæ; & habi-
tus à charitatis infusæ habitu specie diversus ad charitatis in-
fusæ actus proprios proximè & per se potentiae operandi faci-
litatem atque promptitudinem tribuat?

III. Denique quæ supererit definitio habitus? si v. g.
habitus, per actus charitatis acquisitus, ac potentiae operandi
ad actus similes facilitatem atq; promptitudinem tribuens, non
est habitus charitatis, quomodo tandem definiendus erit cha-
ritatis habitus? Omnia hæc tam sunt absurda, quam quæ ab-
surdissima!



LXV. Sed objici solet: *habitus infusus non posse potentia facilitatem & promptitudinem tribuere, propterea quod datur ad ipsam substantiam operationis, ita ut potentia dent ipsum posse.* Hoc ipsum Vazquez etiam ingeminat saepius, & citata Disp. LXXXIII. c. I. n. I, ita dicit verum sibi videri, *ut etiam intensio habitus non juvet per se ad facilitatem in operando. Unde licet alicui infunderetur habitus supernaturalis intensissimus, non statim sentiret facilitatem.*

LXVI. Verum objectioni huic nihil subest difficultatis, modo consideretur, quod inter duo haec: *habitus dari ad substantiam operationis, seu quod eodem redit, tribuere potentia operandi ipsum posse; & eum tribuere ipsi facilitatem atque promptitudinem in operando;* nulla sit oppositio. Experientia enim testatur, quod simul stare & absque ulla repugnantia de eodem affirmari possint. Annon enim in artificialibus ars citharœdica, ut hoc utamur exemplo, citharœdo tribuit utrumque, nempe *& posse & facilitatem seu promptitudinem?* Nam citharœdus is demum est, qui citharam pulsare potest ad harmoniam, ut suavis inde concentus resultet, idque promptè & expeditè. Sed priusquam addisceret artem citharœdicam, non solum non promptè & expeditè, sed nec difficulter eam ad harmoniam pulsare potuit. Discendo autem acquisivit utrumque. Ergo ab arte seu habitu acquisito habet utrumque. Quod hunc in modum ostendo: Discipulus citharœdi ante omnem exercitationem non poterat citharâ canere. Cum autem præceptore præcunte aliquandiu se exercuit, temporisque progressu unam atque alteram cantiunculam canere didicit, tum habet aliquod *posse*, exercitatione acquisitum, nondum verò habet *promptitudinem ac facilitatem*, quando quidem difficulter admodum canit. Continuato autem actuum exercitio quotidie promptior & expeditior evadit. Ergo *& posse & promptitudinē* acquirit assuetudine & actuum exercitio.

LXVII. Neque est, quod excipias ex *Mendoza Disp. XVI. Anim. sed. I. §. 1.* Si habitus acquiritur per actus, necesse est, ut præsupponat in potentia virtutem ad producendos actus: cum
omnis

omnis effectus præsupponat suam causam. Ergo *posse* non potest acquiri per actus. Non, inquam, est, quod ita quis excipiat. Licet enim verum sit, quod actus, quibus acquiruntur habitus, præsupponant virtutem ad sui productionem requisitam, non tamen necessarium est, ut illa virtus potentia operandi tota sit intrinseca, sed sufficit, si aliunde & ab aliquo agente externo potentia operandi juvetur. Quod rursus comprobatur experientia. Nam habitus citharædicus, ut hoc in exemplo persistamus, acquiri non potest, nisi per actus, quibus cithara ad harmoniam pulsatur. Et quia potentia operandi sola eos producere nequit, præceptoris exigitur opera & directio, quæ simul cum potentia suam præbet influxum in primos actus harmonicos, quibus acquiritur habitus, atque sic virtus producendi illos partim est à potentia operandi, partim ab externo præceptoris auxilio, seu est à potentia, externo auxilio adjuncta. Videantur quæ hanc in rem fusè disserit *Caietanus* in l. II. q. XLIX. a. III. impugnata quidem à *Vazquezio d. t. Diss. LXXXIII. c. II.* irrito tamè conatu, ut in conflictu, data occasione, ostendemus.

LXVIII. Quod si verò in artificialibus fieri potest, ut idem habitus det simul *posse & promptitudinem* seu *facilitatem*, quid impedit, quò minus in supernaturalibus idem fiat aut fieri possit? Quæ causa, cur habitus supernaturales, cum *posse operari* potentia tribuant, *facilitatem & promptitudinem* tribuere ei nequeant? Num. deterioris sunt conditionis, quàm habitus naturales? aut forsan naturâ suâ ita imperfecti, ut potentia operandi tribuere tantum non possint, quantum ei habitus humano studio acquisiti tribuunt?

LXIX. Vides lector, quàm infirma & lubrica sint omnia. Quæ tamen ne nullo niterentur fulcro, *Vazquez.* ibid. stabilire conatus est, in subsidium vocatâ experientiâ. Porro, ait, ipsum habitum infusum in quocunque gradu per se non prestare nobis hanc promptitudinem, & perseverantiam, & delectationem in operando, experimento compertum est: quia parvulus & quilibet adultus hunc habitum recipit in baptismo, & tamen non statim reperitur (experitur) hanc promptitudinem. Præterea neque ex inten-

sione habitus caritatis hoc provenire probatur, quia habitus caritatis augetur in nobis meritorie actibus omnium aliarum virtutum, quibus meremur vitam aeternam, & tamen post exercitationem aliorum actuum non experimur hanc promptitudinem in operando ex actu caritatis.

LXX. Verum ad hæc quoque suppetit, quod respondeatur. Et quidem I. *parvulis* infundi habitus supernaturales in baptismo, nondum probatum est. Videantur, quæ supra n. XXXIII. hac de re diximus. Sed nec *adultis* infunduntur. Nam adulti baptizandi aut jam antè per auditum Verbi ad DEum conversi sunt, veraque fide pollent, aut hypocritæ sunt, & absque fide baptismum suscipiunt. Si hoc? nec actus, nec habitus supernaturales ulli in baptismo ipsis infundi possunt: quia per hypocrisin baptismi efficaciam obicem ponunt. Sin illud? ne sic iis fides aut alii habitus supernaturales infunduntur: quia jam antè, cum converterentur, fide salvificâ per auditum Verbi divinitus donati sunt, & quia fides; ideò & spes ac caritas quoque in ipsis fuit producta. Hæc enim individo nexu cohærent, ut cum unum à Spiritu S. in homine efficitur, cætera simul producantur, ut suo ostendetur loco. Unde in hisce adultis baptismus medium est fidem aliâque bona supernaturalia non conferendi, sed collata obsignandi & confirmandi. II. Si vel maxime admittatur, habitum fidei infundi in baptismo parvulis juxta ac adultis: quid hoc ad præsens? Quomodo probabitur exinde, ipsum *habitum infusum in quocunque gradu per se non prestare nobis promptitudinem in operando?* Experimento, inquis, hoc compertum est. Sed quonam? *Quia, ais, parvulus & quilibet adultus hunc habitum recipit in baptismo, & tamen non statim experitur hanc promptitudinem.* At si hoc experimentum rectè habet, eodem ego evincam, habitum infusum in quocunque gradu *per se* ne posse quidem nobis largiri. Quia parvulus ex recepto per baptismum habitu fidei non solum nullam *facilitatem & promptitudinem*, sed nec ullum *posse* ad operandum experitur. Quod ipsum etiam de adultis jam jam baptizatis, nolint velint, adversarii admittere coguntur. Nam *fides infusa*, juxta Thomam III. *Sent.*

Sent. Dist. XXIII. q. III. a. II. ad quartum, in se est qualitas indeter-
terminata, nullius operationis productiva, nisi prius determi-
netur per actus nostros: quam propterea Guilielmus Occam,
Gabriel Biel & Marsilius comparant cum causa universali, quæ
ad actum credendi se habeat ut sol ad generationem bo-
vis, negantes, quòd cum intellectu sufficiens principium sit ad
eliciendum actum credendi, nisi accedente & concurrente fide
acquisitâ, ut causa particulari. Vide suprâ n. XIII. Si ergo fi-
des infusa in actum secundum prodire nequit, priusquàm per
actus nostros juxta Thomam; vel per fidem acquisitam juxta Oc-
camum & cum ipso facientes, determinetur, sequitur, quòd
ante determinationem hanc nec posse, quod potentia ope-
randi tribuit, experimento ullo cognosci possit. Cognitio
experimentalis enim est ex operatione & actibus secundis.
Si igitur bona est hæc Vazquezii consequentia: Baptizatus non
experitur statim post baptismum ex habitu infuso promti-
tudinem & facilitatem ad operandum. Ergo habitus in bap-
tismo infusus per se non tribuit ei promptitudinem & facilita-
tem; bona etiam hæc erit: Baptizatus non experitur statim post
baptismum ex habitu infuso posse operari. Ergo habitus in ba-
p-tismo ipsi infusus non dat ei posse operari. Antecedens pa-
tet: quia habitus fidei in baptismo infusus, juxta Scholasti-
cos, non prius operari potest, quàm determinetur per aliquos
actus circa objectum, vel per fidei acquisitæ habitum, v.
g. si baptizatus quis in aliquod sublime fidei mysterium,
de quo ne fando quidem audiverit, post baptismum incidat,
nullum in se experietur posse ad credendum illud, nisi fides in
baptismo infusa ad objectum illud aliunde determine-
tur.

LXXI. Dicis: Licet baptizatus posse operari non statim
post baptismum ex habitu infuso experiat, experitur tamen
illud, simul ac fides ejus per actus vel fidem acquisitam debito
modo determinata est? idem ego dicam de promptitudine &
facilitate ad operandum. Licet eam non statim post bap-
tismum homo ex habitu infuso in se experiat, experietur ta-
men illam, ubi habitus infusus assuetudine & exercitio actu-

UAI



actuum magis fuerit determinatus & in potentia operandi radicatus. Nam ut se habet unus atque alter actus ad habitum infusum, ut ipsum *posse*, quod potentiae operandi tribuit, in actum prodire atq; experimento cognosci possit: ita habet se actuum exercitiū atq; assuetudo ad eundem, ut *posse* illud *facilius & promptius* in actum prodire, & sic facilitas ac promptitudo in operando, quam potentiae tribuit, experimento cognosci possit.

LXXII. Sed, inquires, ita *promptitudinem & facilitatem* non fore ab habitu infuso *per se*, sed ab assuetudine & exercitio actuum? idem inquam ego admittendum esse de *posse operari*, nempe illud et iam *proximè & per se*, non fore ab habitu infuso, sed ab actibus, quibus determinatur. Quid? si utrumque verum esse, & tam *posse* quam *promptitudinem* atq; *facilitatem* ex actuum exercitio provenire admitteretur: Illud quidem ex actibus, quos Spiritus S. per Verbum in nobis operatur sine nobis, ut *Augustini* phrasi utar, ita ut iis aliqua producatur *dispositio*, quæ det aliquod *posse*, quamvis adhuc cum difficultate operandi conjunctū. *Hanc* verò ex exercitio actuum, quos auxilio gratiæ adjuti nos postea exercemus, ita ut dispositio illa sua ex iis capiat incrementa, & in habitū aucta det *posse* cum *facilitate & promptitudine* in operando conjunctum. Nihil inde sequitur incommodi, nisi quis pro incommodo fortè habeat, quod sequitur, indeterminatum illum fidei habitum infusum esse Scholasticorum figmentum.

LXXIII. Denique quod dicebat *Vazquez l.c. intensiorem habituum* quoque non dare *facilitatem & promptitudinem* in operando, propterea quòd *intensio habituum sit ex actibus meritorie tantum*; ejusdem est farinae cum adducto ipsius experimento. Sumitur enim tanquam certum, quòd habitus supernaturales ex assuetudine atq; actuum supernaturalium exercitio non augeantur, realiter seu, ut aliàs loquuntur Scholastici, *effectivè* aut *physicè*, sicut aliàs habitus acquisiti omnes suis ex actibus augeri seu intendi solent: sed per actus supernaturales hominem mereri tantum eorum augmentum apud DEUM, qui postea pro ratione meriti illud immediatè infundat: quod somnium Schola-

Scholasticum est, eodem habendum loco, quo fidei habitus immediatè & absque effectivo Verbi concursu infusus.

LXXIV. Adhuc ergò nostrum argumentum, superius n. LXXII. propositum perstat inconcussum, & stabit tantisper, dum adferatur ratio diversitatis inter *actus naturales & supernaturales*, ob quam *hi* non possint efficere habitum sibi connaturalem, quod *illorum* exercitio fieri admittitur: cum tamen ex utriusque ordinis actuum exercitio & adsvetudine parem experiamur *facilitatem & promptitudinem* ad similes actus. Difficultas hæc diu torisit Scholasticos. I. d. iisque sicut fieri solet, ut dato uno inconvenienti sequantur plura, ad absurdissima commenta ansam præbuit, quibusdam asserentibus, ex actuum supernaturalium exercitio nasci habitum naturalis tantum ordinis, aliis alia fingentibus, quæ ex parte adducta & confutata videas apud ipsum *Vazquez. d. l. Diss. LXXIX. c. X. & Suarez lib. VI. de Grat. c. XIV*. Apertior cæteris *Mendoza*, cum *d. l.* ad aliorum exemplum sollicitè inquisivisset causam, ob quam supernaturalibus actibus deneganda sit vis efficiendi habitum sibi proportionatum, quæ naturalibus actibus omnium consensu conceditur; nec invenisset, ubi pedem fingeret & tutò quiesceret: ingenuè tandem fatetur, quod res est, quodque alii hinc inde petitis lubricis rationibus dissimulare laborârunt. *Hæc, inquit inter alia §. 67. vera sunt: sed propterea cur negabitur, tunc habitum supernaturalem gigni? aut cur illi actus naturales habuere virtutem ad gignendum habitum sibi proportionatum, & eam non habuere supernaturales, aut cur negabitur, actus supernaturales diuturno exercitio per se reddere potentiam promptam & facilem, ac dicatur id fieri per accidens actibus naturalibus, qui supernaturales comitantur? E QUIDEM NON INVENIO DISCRIMEN.*

LXXV. Atque hæc ad sententiæ nostræ confirmationem sufficiant. Audiamus nunc rationes, ob quas adversarii negent, habitus, ut vocant, infusos posse effici per actus supernaturales. Eas verò *Suarez Lib. VIII. de Grat. c. IV.* ubi quæstionem hanc fusè pertractat, quatuor producit, quæ huc redeunt:

G

I. Actus



I. Actus supernaturales omnes etiam primi semper eliciuntur ab habitibus supernaturalibus. Ergo non possunt illos efficere.

II. Actus gratiae non est tam supernaturalis, quam habitus. Ergo non potest efficere habitum. Antecedens probatur: quia actus elicitur à potentia naturali, in quo habet convenientiam cum actibus naturalibus, & sic est quasi mixtus ex naturali generali & supernaturali differentia: habitus verò est omninò supernaturalis, quia à solo DEO fit.

III. Habitus infusus educitur de potentia obedientiali sui subiecti, & non de potentia naturali: subiectum autem non potest immutari secundum potentiam obedientialem, nisi ab agente infinito, cui soli subicitur; quia immutare naturam ultra naturalem capacitatem ad solum auctorem naturae pertinet, cum requirat supremum dominium in ipsam naturam.

IV. Habitus infusus plus habet de potentia, quam de habitu. Ratio est: quia non solum dat facilius operari, sed simpliciter posse operari. At verò actus secundus nunquam est effectivus illius actus primi, qui dat simpliciter posse, ut per visionem non potest fieri visus. Quod verò actus secundus nunquam sit effectivus illius actus primi, qui simpliciter dat posse, probat Suarez ibidem:

1. Quia actus ex intrinsecâ naturâ supponit potentiam. Ergo non est productivus illius.

2. Quia potentia est principium principale & equivocum sui actus. Unde necesse est, ut sit forma perfectior: nulla autem causa perfectior suo effectu potest ab illo fieri. Ergo etiam habitus infusus in sua entitate simpliciter est perfectior, quam sit actus, & ideo non potest ab illo fieri.

3. Refert huc Suarez conjecturas, à posteriori, quòd habitus infusus quantumvis intentus per unum actum amittatur. Ergo signum est quòd non fiat per actus. Nam habitus, qui per actus acquiruntur, non amittuntur per unum actum contrarium, praesertim si per plures actus formati sint, & DEUS non solet ordinaria lege infundere hominibus habitus, quos ipse potest acquirere per actus suos. Sed in justificatione DEUS infundit omnes hos habitus sine actibus plurium illorum. Ergo signum est, hos habitus esse per se infusos, ut nec per suos actus acquiri possint.

LXXVI. Hæc tela sunt, quibus putant jugulum pē-
ti sententiæ, ex Scripturæ fundamentis hæctenus probatæ de
habitu fidei, per antecedentes actus supernaturales producendo: quæ
omnia, Scripturis sacris procul ex oculis positæ, ex humanæ
rationis armamentario depromta sunt, ita tamē obtusa, ut de
tribus prioribus *Svarez* ipse desperet, eaque nihil obesse fen-
tentiæ, ad quam convellendam adferri solent, ultrò fateatur.

LXXVII. Et quidem *primæ ratio*, iudice ipso *Svarezio*,
supponit falsum, nempe *actus supernaturales semper ab habiti-
bus supernaturalibus elici*, cum tamen certum sit primum actum
credendi, si non tempore, naturâ tamen priorem esse habitu
fidei. Idem de aliarum etiam virtutum Theologicarum a-
ctibus primis, quod non eliciantur ab habitibus, ostendit
Svarez ibidem.

LXXVIII. In *secunda Svarez* negat antecedens, putat-
que contra rationem esse, postulare habitum magis superna-
turalem, quam sit actus: cum tamen inter habitum & ejus a-
ctum debeat esse proportio, ut si habitus in substantia super-
naturalis sit, etiam actum talem esse oporteat. Ad probatio-
nem respondet I. negando, quod actus sit mixtus ex naturali
& supernaturali: cum sit simplex entitas, quæ tota est ordinis
supernaturalis, nō obstante, quod in genere convenit cū acti-
bus naturalibus. Nam habitus infusus etiâ convenit in genere
cū habitu acquisito. Uterq; enim habitus est. Unde si actus pro-
pterea dicens esset mixtus ex naturali & supernaturali, quod
genere convenit cū actibus naturalibus, admittendū etiâ fo-
ret, habitus supernaturales esse mixtos ex naturali acquisito &
supernaturali, quod absurdum. II. Nec obstat, quod actus elici-
tur à potentia, quia elicitur ab illa ut elevata & per poten-
tiam obedientialem. Nihil autem impedit, quod minus actus
in substantia supernaturalis etiam quoad esse supernatura-
le à potentia obedientiali ita elevata eliciatur. III. Commit-
titur petitio ejus, quod est in principio, cum dicitur in con-
firmatione antecedentis, habitum supernaturalem infundi à
solo Deo. Hoc enim ipsum est *πρῶτον μόνον*, quod adversæ parti
erat solidè probandum.



LXXIX. Hæc summa est responsionis, ad *rationem secundam* à *Svarezio* allatæ, in qua forsan non deest, quod studiosus lector desideret. Unde misso antecedente, consequentia nobis lubrica videtur. Nam ad hoc, ut habitus supernaturalis produci possit per actus, sufficit, quod actus sint supernaturales, sive præter suum esse naturale etiam aliquam entitatem naturalem complectantur, sive minùs. Ratio est: quia actus est causa sui habitus æquivoca: in æquivocis autem non requiritur, ut quicquid entitatis est in causa, id omne reperiat in effectu, vel ut effectus non sit simplicior suâ causâ. Quod si regeras, effectum sic nobiliorem fore suâ causâ; responderetur, nihil esse absurdi, si effectus æquivocus aliquâ suâ causâ dicatur nobilior, ut patebit ex inferiùs dicendis.

LXXX. *Tertia ratio* in formam syllogisticam redacta, redit huc: *Quod educitur de potentia obedientiali sui subjecti, id non potest produci per actus supernaturales. Atqui habitus supernaturales educuntur de potentia obedientiali sui subjecti. Ergò habitus supernaturales non possunt produci per actus supernaturales.* Major probatur: quia *subjectum non potest mutari secundum potentiam obedientialem, nisi ab agente infinito, cui soli subijcitur.* Sed respond. negando majorem. Ad eius confirmationem dicimus I. falsum esse, quod *subjectum non possit secundum potentiam obedientialem mutari, nisi ab agente infinito.* Nihil enim repugnat, quò minùs ab agente aliquo finito ita mutari possit, modò eius virtus agendi supernaturalis sit, & capacitati obedientiali subjecti proportionata. Quod ostendit *Svarezi d. l. exemplo luminis glorie*, quod agens finitum; & tamen *visionis beatificæ*, ad quam intellectus non nisi obedientialem habet potentiam, principium proximum & principale est. Ergò non repugnat, subjectum aliquod mutari secundum potentiam obedientialem ab agente finito. II. Ratio adducta aut intelligitur de agente ut principio *QUOD*, aut de agente ut principio *QVO*. Si hoc? simpliciter falsum est, quòd *subjectum non possit mutari secundum potentiam obedientialem, nisi ab agente infinito.* Nam quodlibet subjectum secundum potentiam obedientialem mutatur per actionem in se receptam, quâ ut principio *QVO* forma supernaturalis

turalis de potentia obedientiali illius educitur. Quælibet autem actio, in subiecto recepta, finita est. Sin illud? concedi potest totum. Nam *principium QVOD*, habitum supernaturalem de potentia obedientiali subiecti educens, est *agens aliquod infinitum*, nempe ipse *Spiritus S.* Actus autem supernaturales efficiunt habitus tantum ut *principium QVO*, suntque causalitas agentis ut *QVOD*, nempe *Spiritus Sancti*, & propterea quicquid illi ad productionem habitus conferunt, id omne debetur *Spiritui sancto*, ei que est acceptum ferendum.

LXXXI Hæc ad priores tres rationes: quarum infirmitatem ipsimet Scholastici doctiores agnoscunt. Unde eò minus nobis de illis laborandum est. Ad *quartam* ergò progredimur, quæ etsi *Svarezio* sola videtur valida & sufficiens ad probandum, quod in quæstione est, nobis tamen æquè apparet infirma & debilis atque priores. Quod manifestius evadet, si in syllogismum redigatur, qui talis erit:

Nullus actus primus, qui potentia operandi simpliciter dat posse, potest produci per actus.

Atqui omnis habitus supernaturalis, quem illi dicunt per se infusum, est actus primus, qui potentia operandi simpliciter dat posse.

Ergò *nullus habitus supernaturalis, seu per se infusus potest produci per actus.*

LXXXII. Resp. obscurum esse, quid in medio probandi *Svarex* per verba: *SIMPLICITER DAT POSSE*; intellectum velit, cum dicit: *Actum secundum nunquam esse effectivum illius actus primi, qui SIMPLICITER DAT POSSE*. Potest enim tribus intelligi modis: Uno, ut vox *simpliciter* referatur ad verbum *posse*, & *posse simpliciter* idem sit, quod *totum posse*, significeturque; potentia operandi nullam convenire vim activam, nullum influxum in actum secundum, præter eum, quem ab habitu habet. Altero, ut voce *simpliciter* itidem ad verbum *posse* relatâ tò *posse simpliciter* idem denotet, quod *posse completum ac determinatum*, atque significetur, potentiam naturalem ex se non esse *completum principium* ad producendum actus supernaturales, sed *compleri* per habitum supernaturalem. Tertio, ut vox *simpliciter*



placiter pertineat ad verbum *dare*, importetq; negationem cuiusvis alterius muneris, quod habitus exerceat in potentia operandi, præter hoc, quod ei *dat posse*, hoc sensu: *Actum secundum non esse effectivum illius actus primi, qui potentia operandi SIMPLICITER DAT POSSE*, id est, *nihil dat* seu tribuit, præter *posse*.

LXXXIII. Si in primo sensu accipiatur *tò simpliciter dat posse*, minor argumenti propositio falsissima evadet. Quamquam enim naturales hominis potentia intellectus & voluntas ad actus spiritualiter bonos seu supernaturales, quæ tales, rectè dicuntur emortuæ, nec ullas ex se vires aut *posse* ullum habent ad eos in esse supernaturali producendos: tamen cum actus illi naturâ suâ sint *vitales*, ut loquuntur, & *cognitionis*, aut *assensus*, aut *volitionis*, vel *desiderij* conceptum essentialiter includant, negari nequit, quòd intrinsecè etiam à potentia vitali, i. e. à potentia animæ tanquam principio vitæ dependeant, non quidem quoad *esse supernaturale & specificum*, in quo à reliquis actibus vitalibus differunt: sic enim toti sunt à gratia Spiritus Sancti; sed quoad *esse vitale & genericum*, in quo cum aliis actibus vitalibus conveniunt, quatenus scil. vel *intellectio* vel *volitio* quædam sunt. Unde sicut cum intellectus tum voluntas *posse* illud, à quo actus *supernaturales* suum *esse supernaturale* habent, in solidum habent à gratia Spiritus S. ita à se ipsis habent alterum *posse*, à quo iidem actus *supernaturales* suum *esse vitale* accipiunt: aut si simpliciter *omne posse*, etiam *vitale* est à gratia vel habitu infuso, sequitur potentias operandi constitui ab eodem in *esse principij vitalis* seu in *esse intellectus & voluntatis*, & ab eo habere, quod actus ab ipsis producti essentialiter sunt *intellectio* vel *volitio*, quo nihil dici potest absurdius. Unde ipse Svarez Lib. VI. de grat. cap. V. prolixè disputat & defendit. *habitus infusos non poni ut sint TOTALI A principia proxima supernaturalium actuum, sed ut juvent potentia ad eiciendum tales actus, immediate etiam & per se influendo*. Hinc mirari subit, quamobrem in confirmatione rationis, à se adductæ, *habitus infusos* comparet cum *potentia visiva*, & ex eo, quòd *hec* non produci possit per actus videndi, colligat, nec illos posse produci per actus:

actus: cum tamen notabilis inter ea differentia intercedat. Nam potentia visiva in se habet omne posse, quod ad visionem cum specie objecti eliciendam requiritur, nec quicquam aliud ad eius productionem per modum potentiae exigit. Sed habitus infusus non habet in se omne posse, nec cum specie objecti producere potest actum supernaturalem, nisi activè etiam potentia naturalis concurrat & in eiusdem actus esse vitale ac genericum suum quoque præbeat influxum, quod ne à Svarezio quidem negatur.

LXXXIV. Porro cum phrasis: *Simpliciter dat posse*; tertio accipitur sensu, sicut à Svarezio ferè accipi videtur, tum I. rursus fallit argumenti propositio minor. Nam superius n. LXVI. seq. fusè ostensum à nobis fuit, habitus supernaturales tribuere potentiae operandi præter posse, etiam *facilitatem & promptitudinem* in operando, quod licet Vazquez neget, lubricis innixus rationibus, Svarez tamen, cum quo nobis negotium hinc est, tacitè concedit, cum argumentum suum, in cuius examine hætenus fuimus occupati, confirmaturus comparativè loquitur: *Habitus, inquit, infusus plus habet de potentia, quàm de habitu*; & rursus: *Habitus non solum dat facilius operari, sed simpliciter posse operari*. Ergò habitus infusus aliquid habet de habitu, i. e. cum aliis habitibus commune, nempe ut præterquam quod posse dat, etiam det *facilius operari*. Confer eundem lib. IX de Grat. c. II. n. 14. II. Major etiam propositio falsa est, nec probari potest unquam.

LXXXV. Denique Mendoza Diss. XVI. de Anima Sect. VIII. §. 56. argumentum Svarezij aliter & his proponit verbis: *Actus secundus vitalis supponit potentiam vitalem in actu primo completam. Ergò non potest producere illum actum primum, quem supponit. Sed ille actus primus est habitus per se infusus. Ergò habitus per se infusus non potest produci per actus*. Ex quibus patet, quod Svarez dicit; *habitus infusus dat posse simpliciter*; esse intelligendum sensu eo, quem paulò antè medio constituimus loco, ut idem sit, quod *dat posse completum*. Atque sic conceditur argumenti superius propositi propositio minor, neganda autem venit major; ad cuius probationem quæ rationum pondera & momen-



momenta attulerit *Suarez*, operæ pretium est dispicere & expendere diligentius.

LXXXVI. *Prima ratio* erat, quòd *actus ex intrinsecâ naturâ supponat potentiam*; quæ etiam ambiguitate non caret. Aut enim per *potentiam* intelligitur ipsa *naturalis operandi potentia, intellectus* scil. vel *voluntas*; aut intelligitur *habitus*, cum potentia ad actum secundum concurrens, qui dicatur potentia, quia potentiam complet, eique *posse completum* tribuit. Si prius: non probatur, quod in quæstione erat. Nam ex eo, quod actus potentiam operandi v. g. *intellectio intellectum, & volitio voluntatem* intrinsecè supponit, nihil sequitur aliud, quàm potentias animæ *intellectum & voluntatem* non posse produci per actus supernaturales, sicut nec potentia visiva produci potest per actus videndi, quod verissimum est, nec in quæstionem nunc venit. Sin posterius? Ergò ad tollendam ambiguitatem pro voce *potentia* substituemus vocabulū *habitus*, & erit res in aprico. Argumentum proveniet tale: *Quod actus secundi supernaturales ex intrinsecâ naturâ supponunt, id non potest produci per eos. Atqui habitus supernaturales supponunt actus secundi supernaturales ex intrinsecâ naturâ. Ergò habitus supernaturales non possunt produci per actus secundos supernaturales.* Resp. concessâ majore, propositio minor venit neganda: quâ stante, sequeretur, actus supernaturales non magis posse produci absque habitu supernaturali, quàm visio fieri potest absque potentia visiva, cum tamen Scholastici & inter illos ipse *Suarez*, cujus est hæc minor, minimè inficietur, actus supernaturales posse etiam absque habitu à potentiis operandi intellectu & voluntate produci per actualem gratiam Spiritus S. quam *auxilii* appellatione indigitant. Nam hoc ipso in loco *Suarez* cum dixisset: *actum ex intrinsecâ naturâ supponere habitum*; statim subjungit: *Nec obstat, quòd interdum actus fiat ante habitum.* Profectò quomodò hæc cohæreant, non deprehendimus. Si enim *interdum actus fit ante habitum*, falsum est, quòd *intrinsecâ naturâ supponat habitum*. Nam quòd intrinsecâ naturâ supponit actus tanquam principium sui productivum, absque eo actus nunquam fit aut producitur: & contra
si in-

si interdum actus sit ante habitum, non erit de intrinseca
ejus naturâ, ut producat ab habitu, sed hoc ejus naturæ erit
extrinsecum & accidentale. II. Idem lib. VI. de Grat. c. V. n. 15.
dicit expressè. *potentiam non agere, nisi elevatam per habitum vel*
ALIUD PRINCIPIMUM ÆQUIVALENS. Non ergo
repugnat, actus supernaturales fieri etiam ab alio principio,
quàm ab habitu. Ergo non intrinsecâ naturâ suâ supponunt
habitum, III. lib. VIII. de grat. c. IV. n. 1. concedit iterum, quod
actus supernaturales efficere possint habitum virtutis supernaturalem
ut instrumentum DEI, elevatum ex peculiari institutione ad efficien-
dum habitum ultra nativam activitatem. Et paulò post pro-
babile judicat, quod *actus contritionis vel attritionis in sacra-*
mento penitentiæ efficiat, ut instrumentum, gratiam (habitualem) quæ
ex opere operato per illud sacramentum datur. Sed hi actus su-
pernaturales sunt, nec tamen intrinsecâ naturâ supponunt
habitus infusos; quia conceditur, quod habitus præce-
dant: imò de aliis etiam admittitur, quod ex peculiari insti-
tutione divina habitus efficere possint. IV. *Mendoza* quoque
agnoscit d. 1. §. 77. quod gratia actualis Spiritus S. possit *com-*
plere potentiam operandi, eamque in actu primo constituere
ad eliciendum actum secundum, absque habitu infuso. Er-
go ipsum etiam fateri oportet, quod actus supernaturales non
intrinsecâ suâ naturâ supponant habitum infusum. Confer
Vazq. in I. II. Disp. LXXXIII. c. 2. n. 2. ubi dicit, *habitus infusos da-*
ri nobis ad ipsam substantiâ operationis tanquàm proprias causas illius,
ita ut sine illis aut SINE AUXILIO SUPERNATURALI SUPPLEN-
TE VICES ILLIUS nō possumus tales actus supernaturales elicere &c.

LXXXVII Sed excipit *Svarez lib. VIII. c. IV. n. 10.* quod in-
terdum actus sit ante habitum, id esse præternaturale, ordinem au-
tem naturalem tale esse, ut supponat habitum tanquam necessariū &
connaturale principium, & ideo ex natura sua non habere efficaciam
ad illum. Eundem in modum *Mendoza* regerit, quod poten-
tia compleri etiam potest per auxilium extrinsecum i. esse per ascen-
dens in comparatione actus supernaturalis. qui naturâ suâ petit po-
tentiam compleri per habitum: nam omnis actus secundus petit con-
naturaliter suum actum primum completum. & nullus dubitat, actus
supernaturales connaturaliter procedere à potentia, cum habitus in-
fundantur, ut per illos naturaliter operemur. 2. Quando reperitur

H comple



complementum potentiae intrinsicæ & creati, connaturalius procedit effectus ab illo, quam à causa prima, ut patet mille exemplis, & ratione, quia concursus cause primæ necessarius in particulari oritur ex defectu cause secundæ.

LXXXVIII. Resp. I. Ambiguè dicit Suarez, præternaturale esse, quòd interdum actus sit ante habitum. Nam vox præternaturale potest accipi vel in ordine & comparatione ad subiectum, quòd præter ejus naturam sit, actum supernaturalem in ipso produci ante habitum; vel in comparatione ad habitum, quòd præter illius naturam sit, ut ante eum aliqui actus supernaturales in subiecto producantur; vel denique in ordine & comparatione ad ipsos actus, quòd præter eorum naturam sit, quòd interdum producantur ante habitum. Primo & medio sensu assertio aperte falsa est. Primo quidem: quia animæ potentia intellectus & voluntas, quæ & actuum & habituum supernaturalium subiectum sunt, naturam suam postulant successivè perfici initio factis ab actibus, habitum præcedentibus, quibus primam aliquam dispositivam, & post habitum efficitur: quem in modum etiam naturales habitus omnes producantur. Medio autem sensu falsam esse assertionem, itidem patet. Sicut enim aliàs causa naturam prior est suo effectui, ita hic in supernaturalibus quoque connaturalis & inter causam atque effectum perpetuus ordo exigit, ut actus aliqui fiant ante suum habitum. Ratio est: quia habitus supernaturales quoque, ut probavimus, fiunt per actus. Ergo actus illi naturam priores sunt habitu, & ordine connaturali exigente fiunt ante eum: sicut actus sciendi, ex quo nascitur habitus scientiæ, naturam priores sunt habitu scientiæ, & fiunt ante eum. Tam ergo non est præter habitum supernaturalis naturam, ut ante eum aliqui actus fiant, quam non est præter naturam effectus, ejus causam esse vel fieri ante ipsum. Denique tertio sensu admitti potest, præternaturale esse, quòd actus interdum fiunt ante habitum. Nec repugnamus Mendoza, dicenti, quòd potentia interdum completur vel compleri potest per auxilium extrinsecum, id est per extrinsecam voluntatem DEI, paratam cum potentia concurrere & supplere defectum habituum, esse per accidens comparatione actus supernaturalis, qui naturam suam petit potentiam compleri per habitum. Nam omnis actus secundus petit connaturaliter suum actum primum completum; item quando reperitur com-

lementum potentie intrinsicum & creatum, connaturalius proce-
dit effectus ab illo, quam à causa prima &c. Sed quod hinc col-
ligunt, actus supernaturales, qui fiunt ante habitum, vel qui
fiunt à potentia per auxiliū externum completā, non habe-
re vim & efficaciam ad producendum habitum; ineptissi-
mum est. Quæ enim consequentia hæc: Præternaturale est
actui supernaturali, vel per accidens est in comparatione ad
actum, quod interdum producitur ante habitum, vel fit à po-
tentia, per externum auxiliū completā. Ergo actus, qui
fit ante habitum, vel qui fit à potentia per externum auxi-
lium completā, non habet vim ad producendum habitum?
Annon enim in artificialibus quoque præternaturale est actui
v. g. citharædico, vel per accidens in comparatione ad illum,
quod in discente fit ante habitum à potentia animæ, adjunctā
præceptoris externā directione seu auxiliō, supplente vicem
habitus? Ergone actus citharædici à potentia animæ, exter-
no aliquo auxiliō adjunctā, ante habitum producti in discen-
te non habent vim ad producendū habitum citharædicum?

II. Nec illud omnino caret ambiguitate, quod ibidem
subiicit Suarez, connaturalem ordinem talem esse, ut (actus)
supponat habitum tanquam NECESSARIUM & connaturale
principium. Nam vox necessarium vel absolutam denotat
necessitatem, ut sensus sit: actum supponere habitum, tan-
quam principium absolutè necessarium, absque quo eum
fieri repugnet; vel denotat necessitatem in certo genere,
ut hoc importet: actum supponere habitum tanquam
principium, non quidem simpliciter, ad hoc tamen necessa-
rium, ut connaturaliter fiat, seu ut fiat à principio & modo sibi
connaturali. Priori sensu falsum est, quod actus præsuppo-
nat habitum tanquam principium necessarium. Nam ipse
Suarez fatetur ultrò, quod actus supernaturalis interdum fiat
ante habitum. Ergo non supponit eum tanquam princi-
pium absolutè necessarium. Altero sensu autem conce-
ditur, actum supponere habitum, tanquam necessarium & connat-
urale principium: sed quod Suarez hinc infert, ideo, inquit,
(actus) ex naturā suā non habet efficaciam ad illum; conse-
quentia est ejusdem farinae cum proximè precedente: quā-
stante oppidò cadunt habitus acquisiti omnes. Quis enim
negaverit, in naturalibus etiam actus v. g. ut in adducto



perflamus exemplo, symphoniacum citharæ impulsum supponere habitum citharædicum tanquam principium connaturale & necessarium ad hoc, ut modo sibi connaturali fiat? ideone actus pulsandi citharam ad symphoniam, qui ante habitum sunt à potentia, externo alterius auxilio, vicem habitus supplente adjuncta, non habent efficaciam ad producendum in discente habitum? Ergone citharædica ars non amplius usu & exercitio actuum addisci potest, sed supernaturaliter infundi debet? Vel si illi, non obstante, quod supponunt habitum citharædicum, tanquam suum connaturale principium, vim habent producendi eum, quæ causa est, cur actibus supernaturalibus, à Spiritu sancto per Verbum in hominis intellectu & voluntate excitatis, hoc denegemus? cur hisce, quod supponunt habitum tanquam suum connaturale principium, obstat, quò minus efficaciam habeant ad producendum habitum, non autem illis?

III. Quod addit *Mendoza*, concursum causæ primæ in particulari demum necessarium esse, cum ex parte causæ secundæ datur defectus; nihil obest nostræ sententiæ, sed confirmat eam. Nam presenti in casu datur defectus ex parte causæ secundæ, quod ne adversarii diffitentur, largientes, quod naturales animæ potentie intellectus & voluntas absque concursu alienius principii supernaturalis, quo eleventur vel compleantur, ne unum quidem supernaturalem actum producere possint. Unde cum habitus supernaturales in iis modo ipsarum naturæ congruo produci debent per prævios actus supernaturales, ob hanc causæ secundæ adiuvantiam utique necessarius est concursus causæ primæ in particulari, quo defectus ille suppleatur. Sed satis de ratione prima, ad argumenti principalis confirmationem à *Svarezio* adducta.

LXXIX. Altera ejus ratio, quæ etiam ipsi videtur optima, syllogismo inclusa hæc est: *Nulla causa æquivoca potest fieri à suo effectu*, seu ut clarius dicam; *Nulla causa æquivoca potest fieri ab aliquo, quod ejusdem rationis est cum ejus effectu.* Atqui habitus supernaturalis est sui actus causa æquivoca. Ergo habitus supernaturalis non potest fieri à suo actu, hoc est, non potest produci ab aliquo actu, qui ejusdem rationis est cum actu à se producto. Major probatur: quia in æquivocis causa semper nobilior est suo effectu. Nam quili

quilibet effectus aut est æquè perfectus, & nobilis, atque sua causa, aut est eâ imperfectior & ignobilior. Ut autem perfectior seu nobilior sit, fieri nunquam potest. In æquivocis autem repugnat, effectum esse æquè perfectum & nobilem, atque causam: aliàs enim non esset effectus æquivocus, nec specie differret à sua causa. Videatur hac de re *Vazquez in I. part. Diss. CXXII. c. IV. n. II.* Ergò imperfectior & ignobilior est suâ causâ, & consequenter aliqui de ejusdem speciei cum sua causa producere nequit: aliàs enim quod nobilius est, produceretur ab alio se ignobiliori, quod absurdum. Argumentum hoc tanti æstimat *Vazquez*, ut solum sufficere putet ad evincendum, quòd habitus supernaturales produci per actus nequeant, sicut nec aliud ab ipso adductumprehendimus. Videantur ejus in *I. II. Disputationes LXXIX. c. X. n. 45. & CCXX. c. II.* Etsi verò primo intuitu argumentum ejusque confirmatio quantavis videtur pretii, penitiùs tamen considerata minùs habent in recessu, quàm in fronte pollicentur. Si enim ambiguitas, quæ appellatione *causa æquivoca* involuta latet, nec legenti statim occurrit, discussa, & major propositio debito modo restricta & limitata fuerit, detractum ipsi erit, quicquid est roboris, quod ei inesse videbatur.

X C. Dicimus igitur, majorem propositionem, absolute & sine ulla restrictione acceptam, esse falsam, & posse pluribus infringi instantiis: v. g. in generatione naturali equus est sui actus, quo alium generat equum, causa æquivoca. Ergò equus non potest fieri per actum generationis, seu non potest generari. Semen equinum est causa equi generati æquivoca. Ergò non potest fieri ab illo. Habitus acquisiti sunt actuum suorum causa æquivoca (quicquid etiam regerat *Vazquez* citata *Diss. LXXIX. c. IX. n. 41.*) Ergò habitus acquisiti non possunt fieri per actus. Plura, si opus foret, possent adduci, in quibus omnibus consequens esset falsum, antecedente verò; consequentiæ autem ratio eadem. Necesse igitur est, consequentiam, quæ hoc nititur *Svarezi* principio: *Nulla causa æquivoca potest fieri à suo effectu*, infirmam esse & lubricam.

X C I. Sciendum proinde, quòd *causa æquivoca* in genere accepta admodum latè pateat, & suo ambitu completatur omnem causam efficientem, quæ non est ejusdem spe-



ciei cum suo effectu, sive *principalis*, sive *instrumentalis* causa sit, sive ad effectum se habeat ut *principium QVOD*, cui scilicet in casu recto tribuitur productio effectus, sive ut *principium QVO*, cui productio eius in obliquo casu tribuitur. De causa *instrumentali* vix dubium esse potest, quin fieri possit ab effectu æquivoco. Præterquam enim quod nihil impedit, quò minus aliquis effectus nobilior sit instrumento, quo *principalis* causa usa est in eius productione, sicut v.g. substantia carnis ab anima vegetativa per calorem producta nobilior est calore, quo ad eius productionem anima utitur. ipse etiã *Svarez Lib. VIII. de grat. c. IV.* sub initium statim concedit, actus supernaturales posse à DEO adhiberi tanquam instrumenta ad producendos habitus supernaturales, non obstante, quòd vicissim, ab his fiant. Ergò juxta ipsum inter causã æquivocam, quæ ad effectum se habet ut *instrumentalis* causa, & inter effectum ipsum reciproca causalitas sine ulla repugnantia locum habere potest. Unde major argumenti propositio restricta ad causam æquivocam, quæ ad effectum se habet ut *causa instrumentalis*, falsissima evadit. einde fallit eadẽ, si restringatur ad causam æquivocam principalem, quæ est *principium QVO*. Nam in generatione *anima vegetativa* est causa v.g. equi geniti æquivoca, & quidem *principalis*, habens se ad effectum ut *principium QVO*; (*principium quod* enim est equus generans) & tamen ab equo genito fieri potest, utpote qui vicissim generare potest, & cum generando alium producit equum, certum est, quod simul animam vegetativam tanquam effectum inadequatam producat. Imò ipsa generatio, quatenus actio generantis, est causa equi geniti æquivoca, & quidem *principalis*: est enim ipsa generantis causalitas, & præcisè considerata habet se ad effectum ut *principium QVO*. Actio enim generantis non est ipsum generans, sed id, quo generans generat: & tamẽ inter generationem & genitum datur reciproca causalitas. Nam v.g. equus generatione productus vicissim potest generare, & sic producere actum ejusdem speciei cum illo, quo ipse fuit productus. Restat igitur dicendum, majorem argumenti propositionem, si ullo, eo demum sensu esse veram, quo accipitur de causa æquivoca principali, habente se ad effectum ut *principium QVOD*. Quã sic restrictã argumentum concedi potest totum. Nihil enim infertur aliud, quàm actus supernaturales non esse
habi.

habituum principia *QVA*, quod verissimum. Habent enim se ad habitus supernaturales ut principia quibus, & ut causalitas efficientis causæ. Nam causa efficiens, quæ est illorum principium *QVOD*, est ipse Spiritus S. qui potentiam operandi elevat, determinat & complet: actus supernaturales autem, in potentia operandi eliciti causalitas sunt, seu ipse influxus, quem Spiritus S. præbet in producendum habitum.

XCVII. Huic nostræ responsioni haud obscure ad stipulatur Thomas I. II. q. LI. a. II. cum ad objectionem: *Effectus non potest esse nobilior suâ causâ. Sed habitus est nobilior, quàm actus præcedens habitum.* Ergò habitus non potest causari ab actu præcedente habitum; responditur dicendum, inquit, quòd actus præcedens habitum, in quantum procedit à principio activo, procedit à nobiliori principio, quàm sit habitus generatus: sicut ipsa ratio est nobilior principium, quàm sit habitus virtutis moralis in vi appetitiva per actuum consuetudines generatus, & intellectus principiorum est nobilior principium quàm scientia conclusionum. Confer q. LXXIII a. II. ad tertium. Quibus utique concedit, quòd actus habitum præcedentes secundum se spectati, ignobiliores sint habitibus, disquisito, nec repugnet, aliquam causam æquivocam esse suo effectui ignobilior, nempe eam, quæ est principium *QVO*, & causalitas principii *QVOD*: contrà autè ad hoc, ut effectus dicatur ignobilior suâ causâ, sufficere putat, si ignobilior sit principium *QVOD*. Quod ipsum agnoscit etiam Cajetanus ad h. I. & diligenter notare jubet, quòd nobilitas operationis penjetur ex forma, quæ est actionis principium, & propterea licet actus præcedens habitum sit secundum se imperfectus, est tamen perfectio secundum suum principium: & hoc, inquit, sufficit, quòd bene notabis. Et q. I. XIII. a. II. circa resp. ad III. Nota, ait, quomodo author nulli Philosophorum secundus optimè invenit, in omnium genere virtutum nobilior semper esse generans: ita quòd licet actus præcedentes habitum virtutis sint secundum se imperfecti, ut tamen ex altiori oriuntur principio, generativi sunt virtutis. Quo rectè observato nulla cogit necessitas, ut aliter pronunciemus de actibus naturalibus, aliter de supernaturalibus, & illos perfectiores; hos imperfectiores suo habitu dicamus, quòd absurdè admodum & absque ulla ratione factum videmus à Vazquezio I. II. Diss. LXXIV n. IX.

XCVIII. Sed hæc ut cunq; se habeant, argumenti superius propositi major propositio hoc uno nititur fundamento: In
aqui-

*equivocis effectum semper esse ignobiliorem suâ causâ. Sed si res, qua
de hîc agimus, ipsa ritè expendatur, patebit, stante nostrâ sen-
tentiâ, id esse & manere verum. Nam propriè loquendo habi-
tuum supernaturalium causa efficiens in actu constituta est
Spiritus S. actu operans, & operatio, per quam actu causa est,
nihil diversum est ab actibus, in potentia operandi elicitis, qui-
bus produci dicitur habitus. Non autem dubium est, quin Spi-
ritus S. actu operans, vel per operationem in actu constitutus
nobilior sit habitu naturali. Contrâ autè actu subsequen-
tium principium totale est habitus & potentia operandi, simul
concurrentes, ille quidem ad esse supernaturale & specificum illo-
rum solus; hæc ad solû esse vitale & genericum eorundè, ut supra
declaratum fuit n. LXXXIII. Ubi rursus effectus ignobilior
est suâ causâ. Quis enim negaverit, actum credendi, diligendi
&c. esse in entitate suâ imperfectiorè & ignobiliorem ipsâ po-
tentiâ operandi, per habitû fidei vel charitatis ad actus hujus-
modi, quandoquæ opus est, eliciendos jâ elevatâ atq; completâ?*

XCIV. Res ita est evidens, ut nihil opus sit plura addere.
Ignoscat potiùs lector, quòd his talibus, quæ maximam partè
ad cathedram Philosophicam spectant, præter morem diutiùs
sumus immorati. Quia enim eis unice innituntur, qui habi-
tus supernaturales per prævios actus in nobis produci negant:
res ipsa exigere videbatur, ut singula excuterentur diligent-
iùs. Neque enim opposita, quæ nostra est, sententia recto puta-
bitur talo stare, nisi argumenta, quibus impugnatur, undecûq;
etiam sint desumpta, discussa & dissoluta fuerint omnia.

XCv. Denique quòd conjecturas, *Suarezii* rationibus an-
nexas concernit, nihil causæ est, cur de iis magnoperè simus
soliciti, qui in re tam difficili conjecturis niti nec possumus nec
debemus. De eo interim, an habitus supernaturales per unum
mittantur actû, & utrû absolute hoc asserere liceat, ut in priori
sit cõjectura, an verò aliqua opus sit restrictione, inferiùs suo lo-
co dispiciemus. Altera cõjectura supponit falsum, nempe *DEÛ
in justificatione infundere omnes habitus supernaturales sine actibus
plurium illorum*; quod negatur. Deinde nos non ita nudè dici-
mus, hominem posse supernaturales habitus per suos actus ac-
quirere; sed Spiritum S. producere eos per actus à se in hominis
intellectu ac voluntate per Verbum elicitos. Et tantum
de fidei causa efficiente!

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022




Reha

Vb 17



DISPUTA
DECC





17.

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

De

F I D E

PRIMA,

Quæ est de causa fidei efficiente,

D. O. M. A.

in illustri Salana

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS MUSÆI, S. S.

Theol. D. & P. P.

publicæ ventilationi

exposita


à

M. JOANNE GEORGIO ZENCKERO,

Schleizâ - Varisco.

in auditorio majori

ad d. XIII. Nov.



Typis

CASPARI FREY-SCHMIDII

Anno M DC LII.

